EXERCITATIONES CRITICAE
IMPRIMIS IN EURIPIDIS FRAGMENTIS

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE IMPETRANDOS A. D. VII. ID. MAI. A. MDCCCLXVIII HORA XII IN AUDITORIO MAXIMO UNA CUM THESIBUS A SE PROPOSITIS PUBLICE DEFENDET

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

AUCTOR

OTTO HENSE

PARCHIMENSIS

ADVERSARIORUM PARTES AGENT:

R. GROPIUS CAND. PHIL.
G. MEYER DR. PHIL.

HALIS

TYPIS ORPHANOTROPHEI.

Facile quivis novissimo fragmentorum editori concedat, lubricam esse viam quam ingrediantur qui tragicorum graecorum reliquiis operam navarint: ut vel viri harum rerum peritissimi nedum tirones virium imbecillitatem persentiscant. Miretur igitur nonnemo, si quem imperitiorem videat ad talem materiam accedere. Efficit tamen nonnullorum imprimis Euripidis fragmentorum conditio, ut hic illic ne ii quidem, qui nondum longo usu exercitati sunt, ab emendandi conatu plane debeant abhorrere. Praecipue ii loci quos Ioannes Stobaeus, Orion alii florilegiis seu eclogis servarunt, cum maximam partem *γνώμαις* adnumerandi sint, ob id ipsum ita certis per sententiam finibus circumscripti sunt, ut saepius etiam uberiore totius alicuius dramatis connexu destitutus logicae rationi possis te insinuare atque afferre aliquid ad interpretandum locum vel sanandum. Sunt vero hae sententiae haud raro inter se persimiles et imprimis si sententiam vis enucleare facile alter locus alteri succurrit.

Ut tali modo in universum de sententia propter similitudinem rarius ambigitur, ita si emendandi viam ac rationem respicis, magna diversitas occurrit. Nulla opinor crisis tot diversae emendandi rationis exempla praebere potest quam fragmentorum. Pro re nata enim varia tot variorum libamenta non ad unam aliquam sanandi normam revocanda sunt, immo nisi nimius videbor fere suam quisque locus rationem postulat saepe diversam ab aliis: ut si quis methodo critica exerceri velit, is vix magis idoneam materiam sibi sumere possit quam fragmenta. Hoc effecit ut cum iudicandi verique inveniendi si qua est facultatem aliquo modo ali vellem, praeter locos quosdam hinc illinc desumptos imprimis Euripidis aliquot fragmenta proposuerim, quibus emendandis vires meae (quae sentio quam sint exiguae) haud prorsus impares esse viderentur. Adiuvit me in hac re praeceptorum benevolentia, quorum Bergkius

noster de fragmentis cum Meinekiis et Nauckiis dudum meritissimus familiariter nonnunquam quid sentiret mecum communicavit, ita ut nonnulla coniectoris felicissimi inventa una promere liceret. Delegi ut dixi maxime fragmenta Euripidea, partim Sophoclis partim aliorum; si qui ex integris tragicorum fabulis loci mihi praesto erant, causam non habui cur secluderem. In tractandis privis locis brevitatis studiosus fui, ita tamen ut memor essem praecepti quod Cobetus alicubi monuit: Quicunque nondum longo usu exercitatus in antiquo scriptore vitium tibi visus es deprehendisse et fraudem librariorum tenere te putas, ostende mihi errorem eiusmodi in simili re commissum, exprome locum, ubi hoc ipsum quod tu reponis emendate scriptum est, et erit cur te diligenter audiamus. Negas hoc fieri posse et vel sic tibi credi postulas, aut ineptus aut impudens esse videberis. — Pro consilio autem locos mendosos ita digessi, ut ad suum quemque genus revocarem atque ordinatim de calami mendis, glossematis, interpolationibus aliis generibus disputarem. Studebam igitur imprimis diversa diversorum genera satis discriminare locumque suo quemque modulo metiri. Ac possunt multa mendorum genera verbose definiri, a quibus facile aliquis rursus alia separet: simplicitatis causa nos duo tantum capita exhibuimus, quorum altero vitia quae ad librariorum neglegentiam dirigenda sunt complectemur, velut calami lapsus, falsas iterationes alia, altero ea quae interpretes aut interpolatores suo Marte induxerint. Ex grammaticorum enim industria ac mutandi more una mendorum classis originem duxit diversissima ab altera quae calami lapsu exorta est. Quorum mendorum ut origo sic emendandi ratio prorsus alia est: quare haec ab illis necesse est diligenter separemus diversitatemque — exemplis tamen magis quam verbis — illustremus. Erit autem nonnunquam ubi prout locorum conditio postulaverit, altera ratio alteri in emendando tamquam succurrat, ut non ex hac sola aut illa loci salus petenda sit sed ex utraque simul adhibita. Atque in his corruptelis quae et librariorum oscitantia et interpretum industria utrimque affectae sunt, duo iterum genera distinguenda sunt,

quorum alterius, cuius nos infra exemplum afferemus, hanc esse conditionem videmus, ut primum grammaticus aliquis pro genuino poetae verbo interpretamentum iniecerit iniectumque tum calami quoque mendum attraxerit; alterum genus ita se habet, ut vox poetae et scholion aliquod suprascriptum in aliam vocem qualemcunque conglutinentur e duobus particula quadam a librario assumpta, de quo singulari vitiorum genere disputavit Heimsoethius et alibi et in commentatione „de diversa diversorum mendorum emendatione“ Bonn. a. 1866 p. XII.

Omnino si quis in interpretamenta scholiaque grammaticorum inquirat, optimo fructu Heimsoethii libros his proximis annis editos pertractaverit. In universum quid vir in paucis elegans his praestiterit iudicare vix meum est, nolo tamen plane reprimere quid sentiam. Ac quo luculentius ille docuit quoties grammaticorum glossemata tragicorum contextum maculaverint, eo magis dolendum est, quod idem vir doctissimus ὅλῳ θυλάκῳ ut graece loquar tot copias tumultuaria fere opera iecit nec tanquam moderatrice usus certa ratione elaboravit. Saepius enim nescio quo pacto in his commentationibus vestigia deprehendas raptim ac fere ἀπνευστὶ conscribillantis, ut cum tot incerta stabilire conetur, idem certa illa explorataque infirmare videatur.

Cum nonnullis quoque locis, ubi verba a librariis falso sive ex antecedentibus iterata sive retracta ex sequentibus deprehendimus, medelam afferre conemur, vix monendum est in antecessum, eiusmodi corruptelas ratione prorsus certa emendari non posse vel raro posse. Studebam igitur talia hic proponere, qualia a poeta profecta esse haud sit incredibile.

I.

Sed iam ad ipsas exercitationes nos vertentes ordiamur a frequenti illo eorum mendorum genere quae librariorum neglegentia et imprimis calami lapsu orta videntur. Ut statim in medias res transeamus, calami errorem contraxit ni fallor Euripidis Antigonae fragmentum (N. 172) quod apud Stobaeum flor. 49, 5 corruptissime sic legitur

οὔτ' εἰκὸς ἄρχειν οὔτ' ἐχρῆν εἶναι νόμον
τύραννον εἶναι· μωρία δὲ καὶ θέλειν
ὃς τῶν ὁμοίων βούλεται κρατεῖν μόνος.

In quo novissimus fragmentorum editor sanum se iudicem praestitit quod ut pleraque eaque arbitraria emendandi conamina iure de suis exclusit, ita ea quae res ipsa flagitat in textum recepit. Nemo enim hodie opinor dubitaverit quin in priore versiculo Badhamus Bothium secutus verum eruerit coniectura

οὔτ' εἰκὸς ἄρχειν οὔτ' ἐχρῆν ἄνευ νόμου
τύραννον εἶναι·

Nec minus sponte fere in oculos incurrit a voce μωρία novum membrum incipere, quo de is solus dubitabit, qui particulas δὲ καὶ temere hoc loco moveat. Quales igitur cunque sunt emendandi conatus: si hoc quod simplex ac sana ratio suadet negligitur, iam hac sola de causa puto reiiciendos esse velut Iacobsii τύραννον εἶναι μωρία· δίκη δ' ἑλεῖ κτἑ. vel machinas Matthiaei qui vocem μωρία semel positam bis sumendam esse censet (!) τύραννον εἶναι μωρία δὲ καὶ θέλειν, ut de Wagneri infelicissimo commento τύραννον εἶναι μωρία δέ· κἀδικεῖ κτἑ. taceam.

Quoniam igitur poeta, ut brevi repetamus, in antecedentibus dilucide dixit: neque aequum est tyrannum regnare neque debuit is esse legem temnens: a verbis μωρία δὲ καὶ nova iterum sententia incipiat necesse est, cui quidem sententiae foedam adhuc maculam insidere in aperto est. Neque enim sanata sunt verba a Ludovico Dindorfio qui proposuit μωρία δὲ καὶ πέλειν ὃς κτἑ.: quomodo enim stultitia sit, esse qui unus de civibus regnare velit, me non satis assequi haud diffiteor. πάντα λίθον κινεῖ ut graece dicam Heimsoethius stud. crit. p. 46 qui poetae verba fuisse censuit μωρίαν δ' ὀφλισκάνει, quae quondam librariorum oscitantia in ea quae nunc legimus „distracta" essent! Hoc profecto non est critici munere fungi, sed poetae more versus vel hemistichia procudere. Ceterum occupaverat hoc inventum Herwerdenus exerc. crit. p. 37, ubi coniecit μωρίαν δ' ὀφλισκάνειν, in quo etiam infinitivus duriuscule se habet. Si modo tale quid poetam pronuntiasse statueremus,

multo propius ad literas accederemus scribendo *μωρίας δὲ καὶ πλέως κτἑ.* Conferas Soph. Ai. v. 1150 *ἐγὼ δέ γ' ἄνδρ' ὄπωπα μωρίας πλέων.* Sed omnino opinor haec sententia *ἔξω δρόμου* tanquam est. Dixit poeta: tyrannus iniustus haud debuit esse — quomodo eum perrexisse putamus? Si quid mei iudicii est sententiae sic simplicissime se excipient: sin vero est tyrannus, insipientis est eum vel amore complecti qui unus de civibus vult regnare. Sic demum membra recte inter se respondent neque aliter puto particulas *δὲ καὶ* explicari posse. Pauculis igitur mutatis coniicio

μωρία δὲ καὶ φιλεῖν
ὃς τῶν ὁμοίων βούλεται κρατεῖν μόνος.

scil. *τοιοῦτον* vel *τοῦτον ὃς κτἑ.* Ut sententia similis sit iis quae legimus Eur. Antiop. frg. N. 149 *ἐγὼ γὰρ οὔτε ναυτίλον φιλῶ | τολμῶντα λίαν οὔτε προστάτην χθονὸς* vel iis quae Macareus patri Aeolo Eur. Aeol. frg. N. 29 respondet (cf. Welcker trag. graec. 2 p. 866) *τούτῳ δ' ἀνδρὶ μήτ' εἴην φίλος | μήτε ξυνείην, ὅστις αὐτάρκη φρονεῖν | πέποιθε δούλους τοὺς φίλους ἡγούμενος.* — *ΘΕΛΕΙΝ* et *ΦΙΛΕΙΝ* verba saepius inter se commutata sunt: ut unum pro multis afferam exemplum in Eur. Erechth. frg. N. 364 vs. 21 genuina lectio *φίλει* item depravata est in *θέλει* ap. Stob. flor. 3, 18. — Pronomina personalia et demonstrativa haud raro ad relativa subaudienda esse satis sit talibus tragicorum locis probasse: Sophocl. Philoct. 1296 *πέλας γ' ὁρᾷς | ὅς σ' ἐς τὰ Τροίας πεδί' ἀποστελῶ βίᾳ* scil. *ἐμὲ τοιοῦτον ὃς κτἑ.* Oed. Col. 1150 *λόγος δ' ὃς ἐμπέπτωκεν ἀρτίως ἐμοὶ στείχοντι δεῦρο, συμβαλοῦ γνώμην* — Eur. Iph. T. 755 *σήμαινε δ' ᾧ χρὴ τάσδ' ἐπιστολὰς φέρειν* cf. Bernhardyi nostri syntax. p. 197. Haud raro autem structuras tales liberiores olim falso intellexere interpretes velut Barnesius qui Bacch. v. 416 *μισεῖ δ' ᾧ μὴ ταῦτα μέλει, κατὰ φάος νύκτας τε φίλας εὐαίωνα διαζῆν* perperam sic circumscripsit interpretando *μισεῖ τοῦτον εὐαίωνα διαζῆν, ᾧ μὴ ταῦτα μέλει.* Immo debuit quod iam Elmsleius ad h. l. notavit, sic *μισεῖ δὲ τοῦτον, ᾧ μὴ ταῦτα μέλει, τουτέστι διαζῆν εὐαίωνα κατὰ φάος νύκτας τε φίλας.*

Nonnunquam vel antiquitus interpolatos videmus locos ubi poeta sine dubio hac ellipsi usus erat. Velut Eur. Meleagri fragmenti (N. 529) versus 4 et 5 Stob. flor. 70, 6 sic exhibet *ἐκ γὰρ πατρὸς καὶ μητρὸς ὅστις ἐκπονεῖ | σκληρὰς διαίτας οἱ γόνοι βελτίονες* scil. *τούτου*. Contra Clemens Alex. Strom. VI p. 741 praebet *ἐκ γὰρ πατρὸς καὶ μητρὸς ἐκπονουμένων σκληρὰς διαίτας οἱ γόνοι βελτίονες*, nimirum ut ellipsis evitetur.

Nimia cum licentia versatus est Heimsoethius prooem. aest. univ. Bonn. 1867 p. XVI in emendando Euripidis Chrysippi fragmento N. 839, cum pro librorum scriptura ap. Stob. flor. 66, 2 *γνώμῃ σοφός μοι καὶ χέρ' ἀνδρείαν ἔχειν*
δύσμορφος εἴην μᾶλλον ἢ καλὸς κακός commendaret
μορφῇ καλός μοι καὶ χέρ' ἀνδρείαν ἔχοι·
δύσμορφος εἴην μᾶλλον ἢ καλὸς κακός.

Admodum arbitrarie contendit: „*τὸν δύσμορφον καὶ ἀγαθὸν* (?) praecedebat *ὁ καλλίμορφος καὶ κακός*.“ Unde enim, quaero, concludi potest, in versu priore poetam eandem sententiam plene extulisse quam in altero? Immo nisi librorum scripturae vim afferre volumus, ab extremis verbis *ἢ καλὸς κακὸς* progrediendum est ad antecedentia. Quaeritur, cui poeta posthabuerit *καλὸν κακόν*. Nimirum, respondebis, *ἀγαθῷ δυσμόρφῳ*. At solummodo elatum videmus *δύσμορφος εἴην μᾶλλον ἢ καλὸς κακός*. Quid igitur? si toto priore versiculo exprimere voluit poeta id quod uno verbo dicimus *ἄνδρα ἀγαθόν*? Aptam hercle sententiam lucramur leni mutatione

γνώμης σόφισμα καὶ χέρ' ἀνδρείαν ἔχων
δύσμορφος εἴην μᾶλλον ἢ καλὸς κακός.

Atque id ipsum nunc ab Herwerdeno occupatum video exerc. crit. p. 63. i. e. si modo mente callidus sum ac strenua virtute praeditus, malim deformis esse quam formosus ignavusque. Conferas similes structuras velut Eur. Teleph. frg. N. 708 *σμίκρ' ἂν θέλοιμι καὶ καθ' ἡμέραν ἔχων | ἄλυπος οἰκεῖν μᾶλλον ἢ πλουτῶν νοσεῖν*. Quin Nauckii emendatione *γνώμης σόφισμα* verum inventum sit, haud dubito; contra quod idem v. d. proposuit *ἔχοιν*, reiicies, nisi vis sententiam hiare. Nemo non in suum vertet quod ille

et alibi et observ. crit. p. 51 perite disputavit de optativis in — *OIN* terminatis, et perquam verisimile est hanc terminationem saepius a librariis vulgata forma obliteratam esse. Hoc tamen loco quod per grammaticam commode legatur, sententiae fit incommodum. — Ceterum *γνώμης σόφισμα* et *χέρ' ἀνδρεία* apte coniunguntur ad virum qui ingenio simul et manu pollet describendum.

Item scribendi errore maculatum videmus Euripidis fragmentum Stheneb. 664 N.

ἄνευ τύχης γὰρ ὥσπερ ἡ παροιμία
πόνος μονωθεὶς οὐκέτ' ἀλγύνει βροτούς.

Sic Stob. flor. 29, 36. Recte iam Heimsoethius prooem. hib. univ. Bonn. 1866 p. XV non solum *ἀλγύνει* verbum pro quo Musgravius *ἀλδαίνει* proposuit, vidit corruptum esse sed etiam voculam *οὐκέτι*. Coniecit l. l.

πόνος μονωθεὶς οὐδὲν ἐπαμύνει βροτοῖς.

Suspicor tamen in hac sententia proverbiali verbum minus tritum latitare quam Heimsoethianum illud *ἐπαμύνει*, nec vero a literarum similitudine longius discedit, si quis reponit

ἄνευ τύχης γὰρ, ὥσπερ ἡ παροιμία,
πόνος μονωθεὶς οὐδὲν ἀλφάνει βροτοῖς.

cfr. Eur. Dan. frg. N. 328 *οἱ μὲν εὐγενεῖς βροτῶν | πένητες ὄντες οὐδὲν ἀλφάνουσ' ἔτι*. Exquisitius hoc verbum forsan aliis quoque tragicorum locis redintegrandum erit. Velut in Soph. Alead. frg. (N. 86) apud Stob. flor. 91, 27, ubi legimus

τὰ χρήματ' ἀνθρώποισιν εὑρίσκει φίλους κτέ.,

multo concinnius dictum foret, si legeremus

τὰ χρήματ' ἀνθρώποισιν ἀλφάνει φίλους κτέ.

Quae coniectura praesidii aliquid habet ex Hesychii glossa *ἀλφάνει· εὑρίσκει*. Apparet hoc loco verbum *ἀλφάνειν* ideo commodius se habere, quod de divitiarum potentia agitur. Conferas etiam Eur. Med. 299 *χωρὶς γὰρ ἄλλης ἧς ἔχουσιν* (sc. *οἱ σοφοὶ*) *ἀργίας | φθόνον πρὸς ἀστῶν ἀλφάνουσι δυσμενῆ*, ubi scholiasta explicat *ἀλφάνουσι, εὑρίσκουσι*. Menander usurpavit *ἀλφάνει* teste Suida Mein. Com. 4 p. 178, Aristophanes ib. 2 p. 1084.

Docuimus modo *Φ* literam calami lapsu transiisse in *Γ*, *ἀλφάνει* in *ἀλγύνει*; eadem litera non minus saepe cum *T* a librariis commutabatur. Ut exemplum proferam, Eur. Iph. T. v. 719 libri sic tradunt

ἐγὼ δὲ ταρβῶ μὴ ἀπονοστήσας χθονὸς
θῆται παρ' οὐδὲν τὰς ἐμὰς ἐπιστολὰς
ὁ τήνδε μέλλων δέλτον εἰς Ἄργος φέρειν.

Sententia versuum dilucida est, forma qua id dixerit poeta, non item. Talem qualem hoc loco notionem exspectaveris i. e. „e terra Taurica abire," efferri verbis *ἀπονοστεῖν χθονὸς* nemo facile sibi persuadebit. Structura verbi aeque ac notio sic plane singularis ac soloeca foret. Hoc cum perspexisset Kirchhoffius, scribendum putavit *ἀπονοστήσας χθόνα*, in quo vox *χθόνα*, si modo recte, quid voluerit intelligo, idem esset ac *πάτραν*. Quo iure hoc vir doctus statuerit adeo nescio, ut hoc propositum quippe arbitrarium reiiciendum duxerim. E natura fit, ut vox *χθών* absolute dicta, nisi alius regionis in antecedentibus modo memoria facta est, ad quam statim referas sine ambiguitate, de ea solummodo terra intelligi possit in qua persona quae loquitur versetur. Manifestum est igitur hoc loco vocem *χθόνα* sic nude positam, cum ne in antecedentibus quidem de Graecia poeta verba fecisset, neminem umquam de Argo vel Graecia intellecturum fuisse. Quare Koechlyus commendavit *ἀπονοστήσας δόμον*, cuius audaciae vereor ut quisquam adstipuletur. Quid quod ne sententia quidem in istiusmodi inventis sat simpliciter se habet? An Iphigeniam, ne domum reversus (*ἀπονοστ. δόμον*) Pylades literas pro nihilo haberet, revera metuisse credemus? E contrario illi cum in Graeciam rediisset, fere obviam ivit optima occasio muneris quod in se receperat exsequendi. Haud necesse fuit domum redire Pyladem antequam epistolam ab Iphigenia acceptam e memoria deleret. Immo multo magis e natura ac verus videtur sacerdotis metus, ne advena, si terra Taurica modo relicta tergum vertisset, ut fraudulentus simul literas quoque ac mandata ventis potius committeret quam exsequeretur. Haec qui consideraverit ulcus altius latere mihi concedet. Conieci

ἐγὼ δὲ ταρβῶ μὴ ἀπονοσφίσας χθόνα
θῆται παρ' οὐδὲν κτἑ.

i. e. vereor ne terra relicta pro nihilo habeat literas meas etc. Verbum *ἀπονοσφίζειν τι*, quod hac notione nunc apud solum Sophoclem (Oed. R. 360 *τὰ μεσόμφαλα γᾶς ἀπονοσφίζων μαντεῖα*, quod scholiastes recte explicat verbo *ἐκφεύγων*) legimus, non est cur Euripidi abrogemus. *χθόνα* ut saepissime transiit in *χθονός* cfr. Nauckius stud. Eurip. I p. 114; vel si mavis corrector nescio quis genitivum substituit, quoniam *ἀπονοστήσας* pedem intulit.

Lenem calami lapsum adhuc relictum puto in eiusd. dram. v. 406 ubi legimus in libris

γνώμα δ' οἷς μὲν ἄκαιρος ὅλ- | βου, τοῖσδ' εἰς μέσον ἥκει.

Interpretationem horum versuum quam Schoenius et Koechlyus amplectebantur, contorte se habere neminem fugit, qui quidem simplici iudicio utitur. Optime vero qualis sententia requireretur exposuit Seidlerus, cuius verba infra scribo: „Ludit poeta in verbo *ὄλβος* et divitias significante et felicitatem. Paulo ante eos qui divitias anxie conquirant, *κενοδόξους* dixit, quippe qui felicitatem quaerant ex re, in qua per se non insit. Iam addit, his potius, quibus mens est illibata et incorrupta a divitiis i. e. qui immunes sunt ab illo morbo, quo divitiarum causa homines laborare solent, his felicitas (*ὄλβος*) in medium venit, hi vere sunt *ὄλβιοι*. cf. Aesch. Eum. 532 *ἐκ δ' ὑγιείας φρενῶν ὁ πᾶσι φίλος καὶ πολύευκτος ὄλβος.*" Quod idem coniecit *γνώμα δ' οἷς μὲν ἄκηρος* (pro *ἀκήριος*) *ὄλβου κτἑ.* cum dubitationi valde obnoxium sit ac forma *ἄκηρος* solo hoc loco niti videatur, nos anteponamus in eandem sententiam

γνώμα δ' οἷς μὲν ἄμοιρος ὅλ- | βου, τοῖσδ' εἰς μέσον ἥκει.
γνώμα ἄμοιρος ὄλβου idem fere est quod *φρόνημα οὐκ ὄλβιον* Androm. 163, ubi vide Pflugk. — *κ* litera et *μ* quoties permutatae sint a librariis notum est cf. Nauckius st. Eurip. II p. 89. Fieri tamen etiam potest, ut scriptura *ἄκαιρος* ex glossa *ἄκληρος* orta sit: cf. Hesychius *ἄμοιροι· ἄκληροι.* — Simili via *α* et *ο* literis permutatis corruptum puto Iph. Aulidensis versum 887, quem in codice *B* sic legimus

οἴχομαι τάλαινα, δακρύων τ' ὄμμαι' οὐκέτι στέγω.

Quid sit *δακρύων ὄμματα* nemo potest expedire. Ut brevissime dicam, scribendum erat

οἴχομαι τάλαινα, δακρύων νάματ' οὐκέτι στέγω.

Cf. Herc. fur. 624 *καὶ νάματ' ὄσσων μηκέτ' ἐξανίετε*, Soph. Trach. 915 *καὶ δακρύων ῥήξασα θερμὰ νάματα.* — Hoc loco quoniam vox *νάματ'* post *δακρύων* facili calami lapsu mutatum erat in *τ' ὄμματ'*, in proclivi est perspicere, scripturam *δάκρυόν τ' ὄμματ' οὐκέτι στέγει* a correctore dein parum perite invectam esse. Respicitur nostra coniectura et confirmatur quodammodo etiam verbo *δακρυρροεῖν* in v. seq. *εἴπερ ἀλγεινὸν τὸ τέκνων στερομένην δακρυρροεῖν.* Similem scribendi errorem invenies in Bacch. v. 686, ubi *ἀμμάτων* [in cod. *B* transiit in *ὀμμάτων.* Contra defendi potest librorum scriptura Phoen. 371 *δι' ὄσσων ὄμμ' ἔχων δακρυρροοῦν* et exstitit patronus G. Hermannus cf. Porsonus ad v. 381.

Praeter alia vitia ex eodem fonte fluxit corruptela in Andromedae Sophocleae versibus (N. 122) quos Hesychius 2 p. 333 s. v. *κουρίον* sic exhibet *Κουρίον: Σοφοκλῆς Ἀνδρομέδᾳ. ἡμιοντὸν κοριον ᾑρέθη πόλει· νόμος γάρ ἐστι τοῖς βαρβάροις θνηπολεῖν βρότειον ἀρχῆθεν γέρος τῷ Κρόνῳ* quorum primus fere desperatus: pro *κόριον* Musurus recte quidem scripsit *κούρειον*, ex *ἡμιοντὸν* tamen nemo adhuc probabile quid extricavit. Scaligeri conamen parum sententia commendatur, quod M. Schmidtius Didym. p. 87 coniecit *ἱερόθυτον* parum similitudine literarum. Equidem vocem istam mire corruptam quam proxime ad literarum ductus emendaverim

ἐνιαύσιον κούρειον ᾑρέθη πόλει·

i. e. annua victima a civibus delecta est. Haud inepte enim cogites anniversarias hominum immolationes apud barbaros illos factas esse. — In secundo versu Nauckius suo iure articulum *τοῖς* delevit interpolatoris manum facile prodentem. Valde incertus tamen videtur Scaligeri conatus qui transferri iussit vocem *Κρόνῳ* in huius versiculi finem. Immo sat apte potuit poeta verbis *τῷ Κρόνῳ* vel potius solo *Κρόνῳ* (nam hoc quoque loco articulus delendus erit) denuo versum incipere, quod a librario tum alteri versui

uno tenore adsertum videmus. Haud ita difficile erit iudicium de versu tertio, ubi cum verba *θνητολεῖν βρότειον ἀρχῆθεν γέρος* iustum senarium efficiant, non est cur ea distrahamus. Sic in extremo versu secundo lacuna statuenda est, quam si modo vim sententiae et emendationis lenitatem spectet, haud intempestive quispiam sic expleverit:

ἐνιαύσιον κούρειον ᾔρέθη πόλει·
νόμος γάρ ἐστι βαρβάροισι βάρβαρος
θνητολεῖν βρότειον ἀρχῆθεν γέρας
Κρόνῳ·

in quo *γέρας* Buttmanno debetur. Sed ne sic quidem locum persanatum esse, praeter alia in versu tertio docet *ἀρχῆθεν* vox, quade grammaticus in Bekk. Anecd. p. 450, 4: *ἀρχῆθεν· οὐκ ἔστι παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς πλὴν παρ' Αἰσχύλῳ. παρ' Ἡροδότῳ δὲ ἔστι καὶ τοῖς Ἴωσιν.* Atque de hac difficultate videant velim me sagaciores. — Quem locum hoc frustulum in fabula tenuerit vel quo in sententiarum connexu collocatum fuerit pro poetae consilio, nemo adhuc quoad scio probabiliter expedivit nec omnino quemquam expediturum puto, qua obscuritate tenetur omnis Andromeda Sophoclea. — Vix denique operae pretium videtur redarguere Herwerdeni conatum, qui l. l. p. 21 „Sophocli reddit"

ἀξήμιον τὸ κόριον ᾔρέθη πόλει.

Nescivit nimirum ille nomina deminutiva tragicis plane insolentia esse. Eundem in eadem re lapsum deprehendimus l. l. p. 61, ubi *παιδίον* Euripidi vindicare conatur. — Qui meminerit, quam in deliciis habuerint tragici talia ut graece dicam *ὁμοιώματα* ut enuntiati vim adaugerent, qualia modo in Sophoclis loco restituere temptavimus *βαρβάροισι βάρβαρος* vel legimus Eur. Suppl. 594 *κλεινὸς ἐν κλεινῷ δορὶ* vel Bacch. 436 *αὐτόματα δ' αὐταῖς δεσμὰ διελύθη ποδῶν* aliaque id genus fere innumerabilia, etiam in aliis locis sanandis ansa haud spernenda uti poterit. Eur. Suppl. v. 353 hodie in libris mss. sic legimus

καὶ γὰρ κατέστησ' αὐτὸν εἰς μοναρχίαν
ἐλευθερώσας τήνδ' ἰσόψηφον πόλιν —

ubi e re nata sententia plane contraria requiritur. Nec tamen

debuit Kirchhoffius coniecturam suam ut prorsus certam textu recipere

οὐ γὰρ κατέστησ' αὐτὸν εἰς μοναρχίαν κτἑ.

Ubi simpliciter pronuntiare debuit Theseus liberam esse rempublicam a liberisque civibus gubernari, membrum hoc negativum minus aptum esse pauci non sentient. Nec non Nauckii inventum ἐκ μοναρχίας probabilitatis fines egreditur. Legens hoc sponte quaeras, qualem tandem Theseus rei publicae formam constituerit. Scripserim locum

καὶ γὰρ κατέστησ' αὐτὸν εἰς αὐταρχίαν
ἐλευθερώσας κτἑ.

quod librarius oscitantius scribens haud ita difficile deterere potuit in vocem sibi notissimam μοναρχίαν. Scio equidem verbum αὐταρχία apud Euripidem quantum superest non legi. Cur tamen id adhibere non potuerit poeta certe huic loco plane conveniens, causam non video. Sic infra v. 143 vox eandem notionem aequans legitur αὐθέντης inter antiquiores scriptores apud solum Euripidem, quam nemo adhuc in dubitationem vocavit. Et iure nonnunquam meminerunt critici, scriptores non e lexicis sed lexica e scriptoribus pendere. Velut ut exemplum ex eadem hac fabula petamus, nemo iure fastidiverit quod Nauckius v. 656 proposuit ὁρῶ δὲ φῦλα τρία τριῶν συστρεμμάτων pro librorum scriptura συστρατευμάτων, quamvis vocabulum σύστρεμμα apud tragicos alibi non exstet.

Euripidis Alexandri locum quem legimus in Stob. flor. 86, 2 Nauckius (53) sic scripsit:

περισσόμυθος ὁ λόγος, εὐγένειαν εἰ
βρότειον εὐλογήσομεν.
τὸ γὰρ πάλαι καὶ πρῶτον ὅτ' ἐγενόμεθα,
διὰ δ' ἔκρινεν ἃ τεκοῦσα βροτούς,
ὁμοίαν χθὼν ἅπασιν ἐξεπαίδευσεν ὄψιν.
ἴδιον οὐδὲν ἔχομεν· μία δὲ γονὰ
τό τ' εὐγενὲς καὶ τὸ δυσγενές·
νόμῳ δὲ γαῦρον αὐτὸ κραίνει χρόνος.
τὸ φρόνιμον εὐγένεια, καὶ τὸ συνετὸν
ὁ θεὸς δίδωσιν, οὐχ ὁ πλοῦτος.

Fragmentum et metro et verbis tam misere est corruptum,

ut vix umquam persanari possit. Sunt tamen nonnulla, de quibus certius iudicari liceat. Sic in versu 3 scribendum erit

τὸ γὰρ πάλαι τε καὶ πρῶτον ὅτ' ἐγενόμεθα,

cum in talibus formulis *πολυσυνδέτως* dicere soleant tragici: ut observavit Hirzelius de Eur. in comp. div. arte p. 88, ubi vide exempla accurate congesta. Ut uno defungar loco legimus adesp. frg. (N. 841) ap. Clem. Alex. Strom. III. p. 520 *ἔμοιγε νῦν τε καὶ πάλαι δοκεῖ* vel potius ut probabili Herwardeni coniectura utar l. l. p. 88 *οὕτως ἔμοιγε νῦν τε καὶ π. δ.* Frustra enim hic Meinekius suasit Fleckeis. annal. a. 1863 p. 381 *ἐμοί γέ τοι τὸ καὶ πάλαι δόξαν δοκεῖ*. -- Iam vero in versu quarto lubenter subscribo Meinekii iudicio, cuius verba Stob. flor. vol. III p. XXVII haec sunt: „In *τεκοῦσα* latet opinor substantivum quale est *δόκησις* versusque hic post sequentem ponendus videtur." Quare quinque priores versus sic redintegraverim

περισσόμυθος ὁ λόγος, εὐγένειαν εἰ
βρότειον εὐλογήσομεν.
τὸ γὰρ πάλαι τε καὶ πρῶτον ὅτ' ἐγενόμεθ' ὁμοίαν
χθὼν ἅπασιν ἐξεπαίδευσεν ὄψιν,
διὰ δ' ἔκρινεν ἃ δόκησις βροτούς.

Ut sententia in his sat perspicue decurrebat, ita quid versus octavus ut nunc legitur sibi velit nemo facile dicat. Ferrentur sane verba in hanc notionem: *νόμῳ γαῦρον* (i. e. *εὐγενές*) temporis sola potentia statuitur. At nemo hanc quam adiecimus notionem recte abesse contendet. Quare malim lacunam indicare ut poeta talia fere dederit

νόμῳ δὲ γαῦρον αὖθ' ὃ κραίνει χρόνος,
ἐξαλείφει πάλιν.

Eurip. Alcumenae fragmentum (N. 102) quod in libris Stob. flor. 98, 22 sat apte sic legimus

ἀλλ' ἡμέρα τοι πολλὰ καὶ μέλαινα νὺξ | τίκτει βροτοῖσιν.

Nec tamen satisfecit Nauckio. Properantius ut videtur ad coniecturam confugit proponens olim Philol. 4 p. 547 *μί' ἡμέρα κτλ.* Dein ipse se corrigens ib. 12 p. 194 maluit *ἀλλ' ἦμαρ ἓν τοι κτλ.* collato Oedip. fragmento 553 N. *ἀλλ' ἦμαρ ἓν τοι μεταβολὰς πολλὰς ἔχει.* Iustam causam cur

huic loco Alcumenae versus accommodandus fuerit, me non perspicere aperte fateor. Immo ni sensu meo fallor, si hoc quoque loco dicere instituisset poeta *ἀλλ' ἦμαρ ἔν τοι πολλὰ — τίκτει βροτοῖσιν*, ut ille quidem exempli gratia sine offensione pergere potuit *πολλὰ καὶ μί' εὐφρόνη | τίκτει βροτοῖσιν*, ita vix adiecisset epitheton *μέλαινα*. Recte dicas: unus dies et una nox vel unus dies et nox multifaria mortalibus gignit; minus concinne tamen se habebit sententia: unus dies et atra nox multa gignit mortalibus. Forsan minus nonnemo tribuat minutiori tali discrimini, interesse tamen aliquid pauci negabunt.

Ut aliud exemplum nimiae quam putamus recentiorum industriae proferamus, adesp. frg. (N. 263) legimus in Phalarid. epist. 116 *τὸ γὰρ εἱμαρμένον ἥξει, κἂν Ἀριστaίνετος μᾶλλον ἢ δεῖ φοβηθῇ*

πολλῷ δὲ κρεῖσσόν ἐστι μὴ δεδοικότα
παθεῖν τὸ μέλλον δεινὸν ἢ δεδοικότα.

Vix debuit in textum recipere Nauckius quod coniecit in priore versiculo collato Eurip. frg. 204 *πολλῷ δὲ κρεῖσσόν ἐστι μηδὲν εἰδότα*. Ut omnino proclivius errare solemus cum praesertim in fragmentis versemur, si solo alterius loci auxilio alteri succurrere studemus, sic huic quoque loco notio paullo dispar obtruditur. Antiopae enim locum ab adespoto aliquomodo discrepare puto. Illic malorum inscitiam solamen afferre dixit poeta, hic melius esse metu liberum fata subire quam metuentem; sic simpliciter contraponuntur *μὴ δεδοικότα* et *δεδοικότα*. Qui autem *μηδὲν εἰδότα* scripserit, ei in altero versu etiam *δεδοικότα* mutandi necessitas erit, cuius loco nemo non *εἰδότα* vel huius synonymum exspectabit. An notiones *μηδὲν εἰδότα τὸ μέλλον* et *δεδοικότα* sic nude positas logice inter se respondere et opponi nobis persuadebimus? Videretur nimirum poeta dicere eum qui ignoraret mala futura semper etiam metu vacuum esse. Fieri id posse quis neget? Eodem tamen iure aliquis dixerit: Quia compertum non habeo fatum, ideo metuo. Ut uno verbo dicam: sententiam ut plane integram relinquendam puto nec haesitandum erat in eodem sequentium versuum exitu, qui ibi aptissime locum habet,

ubi notiones contrariae opponuntur velut Eur. Andr. frg. N. 141 *χρήμασιν γὰρ εὐτυχῶ | ταῖς συμφοραῖσι δ' ὡς ὁρᾶς οὐκ εὐτυχῶ.* Eur. inc. fab. frg. N. 1043 *μακάριος ὅστις εὐτυχεῖ γάμον λαβὼν ἐσθλῆς γυναικός, δυστυχεῖ δ' ὁ μὴ λαβών.* cf. Hirzelius de Eurip. in comp. div. arte p. 76. — Similem sibi permisit licentiam Duentzerus cum Philol. 5 p. 187 in Archel. frg. (N. 250) ap. Stob. flor. 96, 4 vs. 3

φρονοῦσι μὲν,
φρονοῦσι δ' οὐδὲν ὥς γε χρημάτων ὕπερ

commendaret: *μοχθοῦσι δ' οὐδὲν ὥς γε χρημάτων ὕπερ.* Cur mutavit, quaeris, librorum scripturam? Nulla videlicet alia de causa quam quod in Palam. frg. N. 584 scriptum legimus *χρημάτων ὕπερ μοχθοῦσι κτἑ.* Vix opus videtur diserte memorare poetam oppositionem verborum *φρονοῦσι μὲν* et *φρονοῦσι δ' οὐδὲν* consilio affectasse, ita ut alterum in versus exitu, in initio sequentis alterum collocaret. — Sana attigit Nauckius Eur. Antiop. frg. 211 quod servavit Stob. flor. 72, 8 *εἰ νοῦς ἔνεστιν· εἰ δὲ μή, τί δεῖ καλῆς | γυναικὸς, εἰ μὴ τὰς φρένας χρηστὰς ἔχοι,* ubi ᾗ μὴ τ. φ. χ. ἔχῃ coniecit pro librorum scriptura. Suspicionem refutavit iam M. Schmidtius annal. Marb. 1856 p. 549. Interpretandi gratia adnectere solet poeta membra condicionalia *εἰ μὴ τ. φ. χ. ἔχοι* quamvis modo antecesserit *εἰ δὲ μὴ* (sc. *νοῦς ἔνεστιν*) in eandem fere sententiam. Persimile exemplum quod iam Schmidtius allegavit est apud Stob. flor. 93, 13 (Antig. frg. N. 163) *ἀνδρὸς φίλου δὲ χρυσὸς ἀμαθίας μέτα | ἄχρηστος εἰ μὴ κἀρετὴν ἔχων τύχοι.* Adiecit poeta *εἰ μὴ κ. ἐ. τύχοι* etsi praecedentibus verbis *ἀμαθίας μέτα* vix opus erat. Ceterum priorem huius loci versum tali forma ab Euripide non perfectum esse, dudum critici intellexerunt. Et comprobant hoc imprimis verba *ἀνδρὸς φίλου*, cum nemo intelligat cur de viri amici auro sermo fiat. Nec lucem affudit Welckerus trag. graec. 2 p. 570 qui coniecit sententiam de auro contemnendo a Maeone Antigonae filio prolatam esse quippe in paupertate educato. Ut nimis hoc quaesitum videtur ita argumentis fere nititur nullis. Locus forsan in eo numero referendus est, ubi initia dictorum Stobaeus variavit, de quo more nonnihil attulit Hermannus

ad Orest. v. 384. — Temere ut uno verbo dicam interpolavit Herwerdenus l. l. p. 41 frustulum Euripideum (N. 269) hunc in modum

δεινὴ φύσις νοσοῦσιν εὑρίσκειν ἄκη.

Apud Stob. flor. 43, 12 hunc locum, quem ad Augen fabulam refert codex Vindobonensis, sic legimus

δεινὴ πόλις νοσοῦσ' ἀνευρίσκειν κακά.

Si quid mutandum est, rythmo versiculi, qui iusta caesura caret, leni verborum traiectione succurrere liceat sic

δεινὴ νοσοῦσα πόλις ἀνευρίσκειν κακά.

Contra sententia fragmenti dilucida patet.

Lenissimam adhuc medelam desiderat Eurip. Antiopae fragmentum (N. 193) quod servavit Stobaeus flor. 58, 1

ὅστις δὲ πράσσει πολλὰ μὴ πράσσειν παρὸν,
μῶρος, παρὸν ζῆν ἡδέως ἀπράγμονα.

In quo prius *παρὸν* ex altero versu falso retractum esse recte perspexit Nauckius Philol. 4 p. 545, ubi proposuit *μὴ πράσσειν χρεών*; possis tamen etiam *πρέπον* temptare. Iam vero apparet duos qui dicuntur accusativos absolutos *πράσσειν χρεὼν* et *παρὸν ζῆν* durissime legi. Scribendum erat

ὅστις δὲ πράσσει πόλλ' ἃ μὴ πράσσειν χρεών,
μῶρος, παρὸν ζῆν ἡδέως ἀπράγμονα.

In formulis tragico sermoni perfamiliaribus *ἃ δεῖ*, *ἃ χρὴ*, *ἃ χρεὼν*, *ἃ πρέπει* similibus in quibus verba dependentia plerumque subaudiuntur, repetitur verbum si iteratione vis quaedam dicendi vel emphasis affectatur velut in Hippol. frg. (N. 442) ap. Stob. flor. 82, 1 ubi sophistarum machinas poeta acriter perstrinxit verbis

νῦν δ' εὐτρόχοισι στόμασι τἀληθέστατα
κλέπτουσιν, ὥστε μὴ δοκεῖν ἃ χρὴ δοκεῖν.

εὐτρόχοισι „volubilibus“ coniecit Nauckius Stud. Eurip. II p. 153 scite ut solet. Apud Stobaeum legimus *εὐρύθμοις πιστώμασι*, ap. Clem. Alex. Strom. I p. 340 *εὐρόοισι στόμασι*. Mihi in mentem venit *εὐκόλοισι στόμασι* cf. Plat. Soph. p. 242 a *εὐκόλως μοι δοκεῖ Παρμενίδης ἡμῖν διειλέχθαι* i. e. ut recte Heindorfius interpretatur, non severa lege nec subtiliter disputare. — Eadem locutione usus est

poeta in hoc Antiopae fragmento ubi *πολυπραγμοσύνην* quorundam castigat. Conferas etiam persimiles locos Iph. A. 300 *κλαίοις ἄν, εἰ πράσσοις ἃ μὴ πράσσειν σε δεῖ* vel 297 *Μενέλαε τολμᾷς δείν' ἃ σ' οὐ τολμᾶν χρεών* vel Bacch. 1112 *οὐ φρονοῦσ' ἃ χρὴ φρονεῖν.* Nec sine doloris acumine easdem notiones cumulatas videmus ab Agamemnone Iph. A. 720 *θύσας γε θύμαθ' ἃ μ' ἐχρῆν θῦσαι θεοῖς*, vel ut recte Porsonus restituit versum *ἁμὲ χρὴ θῦσαι θεοῖς.* — Multo tamen frequentiorem omissi infinitivi usum esse ac constantem, ubi ut diximus in verba non cadit accentus, in altero capite docebimus de interpretamentis vel glossematis pauca disserentes. —

In eadem Antiopa fabula corruptum est fragmentum (N. 222), quod ap. Longin. de subl. c. 40, 4 sic legitur

εἰ δέ που τύχοι
πέριξ ἑλίξας εἶλχ' ὁμοῦ λαβὼν
γυναῖκα πέτραν δρῦν μεταλλάσσων ἀεί.

Wagnerus et Spengelius proposuerunt *εἰ δέ που | τύχοι πέριξ ἑλίξας εἶλχ' ὁμοῦ λαβὼν | κτἑ.* Dubitabant enim olim de hac mensura memores Herodiani *περὶ διχρ.* p. 283, 16 aliorumque testium. Deinde Nauckius observ. crit. p. 40 correptionem tragicis alienam esse distincte statuit. Accedit quod iam Valckenarius diatr. p. 66 recte monuit, parum verisimile esse versum a verbo *τύχοι* initium sumsisse. Idem igitur ad lacunam explendam iniecit *ταῦρος εἶλχ' ὁμοῦ λαβών*, Bergkius noster *εἶλκε πάνθ' ὁμοῦ λαβών.* Quod ni praestat fortasse sic scribendum est *εἰ δέ που τύχοι | πέριξ ἑλίξας εἶλκε συλλαβὼν ὁμοῦ.* Fac sedem quondam mutasse verba *συλλαβὼν ὁμοῦ*, iam liquet quam facile literae *CYA* ante *OY* excidere potuerint.

Leni scribendi vitio deformatus est locus Aeschyleus Suppl. v. 486 ubi Mediceus dat

καὶ γὰρ τάχ' ἄν τις οἶκτος εἰσιδὼν τάδε
ὕβριν μὲν ἐχθήρειεν ἄρσενος στόλου.

Haerebant critici in verbis *τὶς οἶκτος εἰσιδών*, neque iniuria. Turnebi inventum *εἰκὸς* vel Abreschii lusum *τιν' οἶκτος εἰσιὼν τόδε* iam Hermannus optimo iure silentio

praetermisit. Cum ipse perite ut solet scriberet *οἰκτίσας ἰδὼν τάδε* difficultatem difficultate etsi minore expedivit. Etenim duo haec participia duriuscule se habere facile concedes nec omnino opus esse audaciore hoc conatu modo videbimus. Quod Bambergerus opusc. p. 111 coniecit *καὶ γὰρ τάχ' ἄν τις, οἰκτρ' ὃς εἰσιδὼν τάδε κτἑ.* nisi ipse interpretationem exprompsisset, valde vereor, ut quisquam intellecturus fuerit: ita repugnat membrorum structura simplici grammaticae explicationi. Maiora etiam suo more molitus erat Burgesius, quam per simplicem emendandi rationem stare possint. Etiam M. Schmidtii coniecturam (Philol. 16 p. 162) iustos fines egredi mihi persuasi. Omnium autem horum conaminum hoc commune esse arbitror, ut nodus quod aiunt in scirpo quaeratur, non ipsa loci difficultas enodetur. Hoc enim citra dubitationem puto: mendum non in *οἶκτος* sed potius in *τὶς* pronomine adiecto latere. Nam in eo, quod miseratio pro miserantibus dicitur i. e. abstractum nomen pro concreto, per se minime offendendum est; si autem Argivi miserantes ipsius *οἴκτου* notione comprehenduntur miseratioque subiecti vice ponitur, tum huic generali notioni *τὶς* adiici ratio logica vetat. Quamquam per se nihil impedit, quominus *τὶς οἶκτος* iungamus velut Eur. Hipp. 1087 legimus *οὐ γάρ τις οἶκτος σῆς μ' ἐπέρχεται φυγῆς*. Attamen hic praesertim cum *οἶκτος* et *ὕβρις* substantiva inter se respondeant et aperte contraponantur, pronomen indefinitum intolerabile est. Malim igitur

καὶ γὰρ τάχ' ἄν πως οἶκτος εἰσιδὼν τάδε
ὕβριν μὲν ἐχθήρειεν ἄρσενος στόλου.

εἰσιδὼν hoc loco eo facilius ad *οἶκτος* dirigi poterat, quod ipse poeta in antecedentibus audaciam si qua est mitigavit v. 483 *ὡς ἴδωσι τῆς δ' ἀφίξεως τέκμαρ πάντες πολῖται.* Amat imprimis Aeschylus substantiva abstracta pro subiecto ponere ac poetice tanquam personas inducere velut infra *πειθὼ* et *τύχη* vs. 523

πειθὼ δ' ἕποιτο καὶ τύχη πρακτήριος,

ubi nescio an nervosior fiat orationis conclusio atque Aeschylus sui etiam similior, si reponamus

πειθὼ δ' ἕποιτο καὶ τύχη· πρακτὴρ δμῶς.

Neque enim eo quod hoc uno solo loco adiectivum *πρακτήριος* in graecitate scriptum videmus, codicis scripturae fides augetur. Anteposuit haud raro Aeschylus substantiva in — *ηρ* vel in — *ωρ* desinentia adiectivis, velut ut exemplum luculentius afferam, Sophocles pro solitario verbo *ἄμυξ* periphrasi utitur *ἀμυκτήρια φάλαρα*, Aeschylus exhibet rariorem vocem *ἀμυκτήρ*. Sic legimus nomen *πρακτὴρ* Il. ι 443 ubi easdem notiones contrapositas videmus: *μύθων τε ῥητῆρ' ἔμεναι πρηκτῆρά τε ἔργων*. Omnino autem Supplicum fabulae dictio propius accedit ad Homericam, id quod recte observavit G. Hermannus adnot. ad vs. 419. Huc referendum quoque *ἔνισπε* in dialogi v. 603 alia id genus. Nec tamen hoc impedimento fuit, quominus in eiusd. fab. v. 646 etiam altera forma *πράκτωρ* exhiberetur. Eodem modo *ἱκτὴρ* et *ἵκτωρ* in eadem nostra fabula variant v. 479 et 652, sic *οἰκητὴρ* poeta exhibuit sept. v. 19, *οἰκήτωρ* Suppl. 952, *εὐνατὴρ* Pers. 136, *εὐνάτωρ* Suppl. 665. Pro *κλητῆρος* falso *κλήτορος* formam a librario inductam esse metrum docet Suppl. 622. — De iunctura *τύχη πρακτήρ*, *τύχη σωτὴρ* Ag. 664, *καρανιστῆρες δίκαι* Eum. 186 cf. Lobeckius Paralip. p. 271.

Diximus supra amare Aeschylum substantiva abstracta quae dicuntur velut personas inducere per prosopopoiiam, ut tanquam agentes vel sentientes adspiciantur. Tali *ἐμψυχίᾳ* vel *προσωποποιΐᾳ* inducitur *φόβος*: Sept. *φόβος γὰρ ἤδη πρὸς πύλαις κομπάζεται*, Ag. 14 *φόβος γὰρ ἀνθ' ὕπνου παραστατεῖ*, vel ut Herwerdeni (l. c. p. 96) haud spernenda coniectura utar, *φόβος γὰρ ἀντίπνους π. τὸ μὴ βεβαίως βλέφαρα συμβαλεῖν ὕπνῳ*. Choeph. 32 *τορὸς γὰρ ὀρθόθριξ φόβος κτἑ.* alia. Id nonnunquam librarios oscitanter praetervidisse uno saltem exemplo liceat comprobare. Agam. 1434 Clytemnestrae verba ponderosa haec leguntur

καὶ τήνδ' ἀκούεις ὅρκίων ἐμῶν θέμιν·
μὰ τὴν τέλειον τῆς ἐμῆς παιδὸς Δίκην,
Ἄτην, Ἐρινύν θ', αἷσι τόνδ' ἔσφαξ' ἐγώ,
οὔ μοι φόβου μέλαθρον ἐλπὶς ἐμπατεῖ,
ἕως ἂν αἴθῃ πῦρ ἐφ' ἑστίαις ἐμαῖς κτἑ.

Ut Schneidewini interpretationem vulgatae sublanguidam, quae omni analogia destituta est ac iam collocatione verborum diluitur, hoc loco omittam, Hermannus post Auratum is fuit qui versum 1434 plane deperditum esse penitus sentiret et imprimis ineptum illud *φόβου μέλαθρον* amovere studeret. Nec tamen medelam attulit. De coniectura eius *οὔ μοι φόβου μέλαθρ' ἂν ἐλπὶς ἐμπατεῖν, ἕως ἂν κτέ.* recte Karst. comment. in Agam. p. 295: „est igitur variatis vocabulis idem ac si diceretur: *οὔ μοι φόβος μέλαθρα ἂν ἐμπατεῖν φόβου* i. e. non mihi metus ne timor me invadat.“ Accedit quod cum iusiurandum tam grande praeiret, fortius aliquid et nervosius exspectatur quam Hermanni illud: non spes mihi est timorem in domum meam ingressurum esse.“ Idem dicendum est de Schoemanni invento prooem. hib. univ. Gryph. 1854 p. 13 cuius coniectura *οὔ μοι φόβους μέλαθρον ἐλπὶς ἐμπατεῖν* ab Hermanniana nihil fere differt. Quod Hartungus proposuit *οὔ μοι μέλαθρον ἐλπὶς ἐμπατεῖν σκότου* Keckius comm. Ag. p. 437 recte refutavit. Audaci autem ipsius conamini *οὔ μοι μελάθρων ἐλπὶς ἐμπατεῖν τίτυν* vix erunt qui adstipulentur. Ne Karstenus quidem l. l. versum sanavit, quamvis hoc ei facile largiamur, imprimis *ἐλπὶς* voci vitium inesse ac *φόβος* scribendum esse recto casu, quippe in quem omnis accentus rhetoricus caderet. Hoc in Maehlyi quoque conatu laudandum est, qui coniecit Fleckeis. annal. a. 1867 p. 558 *οὔ μοι φόβος μέλαθρα μήτις ἐμπατῇ* vel *οὔ μοι φόβος μέλαθρ' ἄναλκις ἐμπατεῖ* collato Homerico versu Il. *o* 62 *ἀνάλκιδα φύζαν ἐνόρσας*, utrumque sine dubio nimis audacter. — Si verum quaerimus, ante omnia spectandum est, num verbum *ἐμπατεῖ* recte se habeat. Hoc autem minime Aeschyleum esse contendo. Ingrediendi notionem aequaus semel usurpavit solus Nicetas Eugenianus grammaticus, calcandi notione Iosephus in bello iudaico et Photius. Contra simplex est Aeschylo perfamiliare, quo nonnumquam notiones „versandi in loco“ et „proterendi“ una comprehenduntur cf. *πέδον πατεῖν, ὁδὸν πατεῖν, πύλας πατεῖν* Choeph. 732, Herm. adnot. ad Ag. 1317 p. 478. Nisi igitur egregie fallor, scripsit poeta

οὔ μοι φόβος μέλαθρον ἑλπίσει πατεῖν

i. e. haud sperabit timor se in domo mea versari vel domum pedibus calcare. De infinitivo praesenti satis sit laudasse Kruegeri Gr. I § 53, 1, 10, de futuro ibid. 53, 7, 3. Sunt forsan qui praeferant formam atticam *ἐλπιεῖ*. Retineo tamen antiquiorem formam, cuius vestigia etiam alibi apud tragicos in codicibus comparent. Recte iam Ellendtius lex. Soph. s. v. *νοσφίζω* (ad Soph. Phil. 1413 ubi cod. Ven. et. Laur. A *Πάριν νοσφίσεις βίου*) iudicavit: „quod formarum genus furca expulsum a criticis ambigas an non invehendum rursus sit.“ cf. etiam Abresch. ad Aesch. Eum. 216. Sic Hesychius exhibet 1 p. 602 *ἀτίσεις· ἀτιμάσεις. Αἰσχύλος Κερκύωνι*. Ac vix iure scriptum videmus apud Nauckium Aesch. frg. 297 vs. 10 *δρυμοὺς ἐρήμους καὶ πάγους ἀποικιεῖ*, ubi libri *ἀποικίσει*. Apud Eur. Iph. T. 865 recte restituerunt viri docti *θανάτῳ πελάσεις ἆρα βάρβαρα φῦλα*, ib. vs. 18 cum Bergkio scribendum erit *οὐ μὴ ναῦς ἀφορμίσεις χθονός*. — Sed iam ad fragmenta redeamus. Calamo aberrante procul dubio vitiatum est fragmentum Sophoclis (N. 343) e Laocoonte petitum quod servavit Dionysius Halic. 1, 48 p. 121

νῦν δ' ἐν πύλαισιν Αἰνέας ὁ τῆς θεοῦ
πάρεστ', ἐπ' ὤμων πατέρ' ἔχων κεραυνίου
νώτου καταστάζοντα βύσσινον φάρος.
κυκλεῖ δὲ πᾶσαν οἰκετῶν παμπληθίαν.
συνοπάζεται δὲ πλῆθος οὐχ ὅσον δοκεῖς,
οἳ τῆσδ' ἐρῶσι τῆς ἀποικίας Φρυγῶν.

vs. 4 quod libri exhibent *κυκλεῖ δὲ* ut graecitati repugnans Reiskius leniter mutavit in *κύκλῳ δέ*, quo recepto facile caremus Nauckii conatu qui de *καλεῖ* cogitavit Addend. p. XV. Sic iam accusativus *παμπληθίαν* vel ut cum Bergkio nostro loquar *παγκληρίαν* enodandus erit. Ridicule enim fere deformavit locum Herwerdenus l. l. p. 12 sic scribens *ἐπ' ὤμων πατέρ' ἔχων κεραυνίου | νώτου καταστάζοντα βύσσινον φάρος, | κυκλῷ* (i. *κύκλῳ*) *δὲ πᾶσαν*

οἰκετῶν παμπησίαν. | *συνοπάζεται δὲ πλῆθός οἱ, πόσον δοκεῖς*; Sic nimirum Aeneam alterum fere Atlantem ne dicam caelum sed *πᾶσαν οἰκετῶν π.* humeris sustinentem videmus. Nemo, monitus, opinor, non videt, si *κύκλῳ* amplectamur, accusativum a sententia abhorrere ac plenum esse ambiguitatis. Exspectamus primum casum qui simpliciter dirigatur ad *πάρεστ'*. Nisi fallor, librarius quondam formam pronominis *πᾶς* falso voci *παγκληρίαν* accommodavit, cum poeta potius scriberet

κύκλῳ δὲ πάντων οἰκετῶν παγκληρία.

vs. 5 Herwerdenus l. c. plane temere attigit, causas non attulit. In eodem versu, ut hoc statim commemorem, quamquam melius alteri nostro capiti inserendum fuit, *γὰρ* scribendum esse pro *δὲ* vidit Bergkius, qua emendatione nihil fere certius cf. Heimsoethius stud. crit. p. 272. — Male habuit viros doctos locus, qui paullo infra legitur apud Nauckium 355. Scholia Plat. p. 965 b 13 haec habent: *παροιμία, αὐτὸ δείξει, ἐπὶ τῶν ἀπιστούντων τι μὴ γενέσθαι. — μέμνηται δὲ αὐτῆς καὶ Σοφοκλῆς ἐν Λημνίαις οὕτως*

ταχὺ δ' αὐτὸ δείξει τοὔργον, ὡς ἐγὼ σαφῶς.

Ac primum quidem recte insolitum anapaestum videtur removisse Meinekius proponens *τάχ' αὐτὸ δ. κτἑ.* In ceteris quae effinxit *αὐτὸ δείξει τοὔργον, ὡς δοκῶ, σαφῶς* non minus errore tractum esse virum doctissimum arbitror quam Herwerdenum cum proponeret l. l. p. 17 *ταχὺ δ' αὐτὸ δείξει τοὔργον, ὡς ἔχει, σαφῶς*. In proverbiali enim locutione *αὐτὸ δείξει* vel *αὐτὸ δείξει τοὔργον* similibusve neminem umquam adiecisse *σαφῶς* vel simile adverbium facile est cognitu. Est solita proverbialis formula quae certis usus finibus circumscripta tenetur. Perlustres mecum exempla: Eur. Phoen. 624 *αὐτὸ σημανεῖ*, Bacch. 969 *τ' ἄλλα δ' αὐτὸ σημανεῖ*, Andr. 265 *τὸ δ' ἔργον αὐτὸ σημανεῖ τάχα*, Or. 1129 *εἶτ' αὐτὸ δηλοῖ τοὔργον*, Helen. 151 *πλοῦς, ὦ ξέν', αὐτὸς σημανεῖ*, Plat. Hipp. mai. p. 288 B *αὐτὸ δείξει*, Protag. p. 329 B *ὡς αὐτὸ δηλοῖ*, Aeschin. c. Timarch. § 40 *ὡς*

αὐτὸ ἔδειξεν: iam concedes intempestive a criticis adverbium *σαφῶς* ad ipsum proverbium dirigi, ut vel nuperrime G. Dindorfius fecit poet. scen. ed. V. Quid inde consecuturum putas? Aut statuamus necesse est poetae locum non plene a scholiasta relatum esse *τάχ' αὐτὸ δείξει τοὔργον, ὡς ἐγὼ σαφῶς — κτἑ.* id quod Nauckius sibi persuasisse videtur; aut quod nescio an magis placeat rescribamus

τάχ' αὐτὸ δείξει τοὔργον, ὡς (vel *εἰ*) *λέγω σαφῶς.*

Possis tamen etiam leniore medela *CΑΦΟC* mutare in — *ὡς ἐγὼ σαφής*. Et probavit haec Bergkius noster, etsi maluit *τάχ' αὐτὸ δείξει τοὔργον, οἷδ' ἐγὼ σαφῶς.* — Ad sententiam aliud conferatur incerti tragici fragmentum ap. Ioann. Damasc. post Stob. ecl. p. 717, 23 (N. 223)

. . τὸ γὰρ πρᾶγμ' αὐτό μοι καλῶς ἔχον
καλοὺς παρασχεῖν τοὺς λόγους δυνήσεται'

quod haud inepte sic explere possis: *Θαρσῶ· τὸ γὰρ πρᾶγμ' κτἑ.* Qui cum Nauckio scribet *σιγῶ· τὸ γὰρ π. κτἑ.* ei statuendum erit, verbis his orationem praecessisse, cuius haec verba clausula essent. Etenim si quis sperat fore ut res ipsa (*πρᾶγμ' αὐτὸ*) verba (*τοὺς λόγους*) bona reddere possit, ei omnino verba facienda erant. Atque ita rem esse posse nemo negabit. Cum tamen de antecedentibus nihil compertum habeamus, praeferam *Θαρσῶ* quo verbo et ad sequentia et ad antecedentia respici poterat. Componas denique trag. adesp. N. 428 *ἀλλὰ ταῦτα μὲν χρόνος δείξει.* Similiter nos dicere consuevimus: Die Zeit wird's lehren. - Annectamus primo quidem adspectu paullo implicatiora, item tamen ab scribendi errorem haud ita improbabilem referenda. Eur. Androm. v. 321 corruptissime sic legitur

τοὺς δ' ὑπὸ ψευδῶν ἔχειν
οὐκ ἀξιώσω πλὴν τύχῃ φρονεῖν δοκεῖν.

Distinguit poeta inter eos, qui vere beati sunt atque eos qui videntur tantummodo felices esse. Hemistichium 321 recte emendavit Henricus Hirzelius l. l. p. 59 sic scribens: *τοὺς δ' ὑπὸ ψευδῶν ἔχει* (sc. *ἡ εὐκλεια*): nunc demum

construi possunt verba *πλὴν τύχῃ φρονεῖν δοκεῖν*. In his autem verbis *φρονεῖν* ineptum esse, adstipulor Nauckio stud. Eurip. II p. 100 sq. sic disserenti: agitur hoc loco non de prudentia vel intellectu beatorum sed de sola eorum felicitate. Quod cum iam ante vidisset Dobraeus adv. 2 p. 76 commendavit *πλὴν τύχῃ δοκεῖν μόνον*. Ipsa tamen *τύχῃ* quoque vox habet aliquid offensionis, quod opinor nemini non persuadebit Nauckius l. c. Quaerentibus autem quo pacto duo molesta ista verba *τύχῃ φρονεῖν* huc immigraverint, Menandreorum versuum comparatio, quos his quondam versibus in margine adscriptos tum post v. 328 illatos esse probabiliter coniecit Dobraeus l. c. haud inutilis erit. Horum primus versiculus apud Stob. flor. 114, 14 sic traditur *ἔξωθέν εἰσιν οἱ δοκοῦντες εὐτυχεῖν*, in codicibus Euripideis falso sic *ἔξωθέν εἰσιν οἱ δοκοῦντες εὖ φρονεῖν*. Deprehendimus igitur hoc loco permutationem verborum *εὐτυχεῖν* et *εὖ φρονεῖν* librariorum oscitantia ortum cf. Meinekius Men. Rell. p. 230. Atque id quod in Menandri versibus accidit, quid impedit, quominus item in Euripidis versu *οὐκ ἀξιώσω πλὴν τύχῃ φρονεῖν δοκεῖν* statuamus? duas fuisse hic olim varias lectiones *εὖ φρονεῖν* et *εὐτυχεῖν*, quae ab alio librario ambo reciperentur receptaeque metri necessitate decurtarentur in *τύχῃ φρονεῖν*? Certe et ad sententiam et ad formam emendate poeta loqueretur si legeremus

εὔκλεια δ' οἷς μέν ἐστ' ἀληθείας ὕπο,
εὐδαιμονίζω· τοὺς δ' ὑπὸ ψευδῶν ἔχει,
οὐκ ἀξιώσω πλὴν ὅσ' εὐτυχεῖν δοκεῖν.

De formula *πλὴν ὅσα* cf. Iph. T. 601 *πλὴν ὅσ' οὐχ ὁρῶσά νιν* et quae Nauckius l. c. disputavit. Ceterum pro *ἀξιώσω* forsan cum Hirzelio scribendum erit *ἀξιῶ 'γώ*. Sententia igitur haec est: „quos vero falso tenet (sc. *ἡ εὔκλεια*), eos ego non nisi speciem felicitatis prae se ferre puto.“ — Eadem verborum *εὖ φρονεῖν* et *εὐτυχεῖν* commutatio occurrit in Zopyri fragmento N. p. 646, quod ap. Stob. flor. 63, 8 sic legimus: *μηδεὶς ἄπειρος τῶν ἐμῶν εἴη φίλων | βροτός, εὐτυχῶν δὲ τὸν θεὸν λάβοι*. Alterum posterioris versiculi mendum sustulit Gesnerus, cum reponeret *ἔρωτος*, alterum

adhuc reliquerunt viri docti. Neque enim sufficit Meinekii lenis illa quidem mutatio *ἐντιχὼν δὲ τὸν Θεὸν λάβοι*: sententia sic acumine plane careret. Quod Nauckio in mentem venit *εὐμενῆ δὲ τὸν Θεὸν λάβοι* et a librorum fide nimis recedit nec iustum eo oppositum efficitur. Nemo meorum amicorum, inquit poeta, expers sit amoris: flagitat nunc sententia oppositum: mente autem sapiens deum excipiat! Habemus igitur

μηδεὶς ἄπειρος τῶν ἐμῶν εἴη φίλων
ἔρωτος, εὖ φρονῶν δὲ τὸν Θεὸν λάβοι.

εὖ φρονεῖν hoc loco ut saepissime idem valet quod *σωφρονεῖν*. Usus est hic tam frequens, ut exemplis supersedere possimus. Tota sententia est tragicis familiarissima, ut unum promam exemplum pro multis cf. Eur. Iph. A. 539 sq. *μάκαρες, οἳ μειρίας Θεοῦ μετά τε σωφροσύνας μετέσχον λέκτρων Ἀφροδίτας κτέ.* — Nonnumquam observari potest librarios verbo *εὖ φρονεῖν* substituisse *σωφρονεῖν* ut in talibus sententiis magis notum. Sic Bacch. 304 cum Nauckio forsan recte reponamus rariorem quandam synizesin statuentes *οὐχ ὁ Διόνυσος μὴ εὖ φρονεῖν ἀναγκάσει | γυναῖκας εἰς τὴν Κύπριν, ἀλλ' ἐν τῇ φύσει | τὸ σωφρονεῖν ἔνεστιν εἰς τὰ μάνι' ἀεί*, contra libros, ubi legimus *μὴ σωφρονεῖν* vel *μὴ* omisso solum *σωφρονεῖν*. Neque enim *μὴ φρονεῖν* sufficit nec *κακοφρονεῖν* sententiae satis aptum videtur, quode cogitavit Heimsoethius prooem. univ. Bonn. aest. 1867 p. X sq.

Priusquam ad aliud erratorum genus transeamus, in fine adiicimus Chaeremonis locum ap. Stob. flor. 91, 11 qui partim ex Nauckii coniectura (p. 614) sic mihi instaurandus videtur

πλοῦτος δὲ πρὸς μὲν τὰς πόλεως τιμὰς ἰὼν
οὐκ ἐστι σεμνὸς ὥστε καὶ δόξης τυχεῖν,
ἀλλ' ἔσχεν ὄγκον· ἐν δὲ δώμασιν βροτῶν
ἡδὺς συνοικεῖν καὶ τιν' εἰληχὼς χάριν·

Nunc enim publicis urbis vel rei publicae honoribus privati lares apte contraponuntur, ut poeta hoc fere spectet:

„divitiae si ad publicos honores accedunt, haud verecundae esse solent, immo fastum movere; intra lares autem commode adsunt nec mediocrem gratiam conciliant.“ *πόλεως* dedi pro librorum scriptura *ὅλας* *), *δώμασιν* pro *δώσει*. Majora tentat Heimsoethius prooem. hib. univ. Bonn. 1866 p. XV qui recepta Nauckii coniectura *ἐν δὲ λῴοσιν βροτῶν* in primo versu audacter legi iubet *πλοῦτος δὲ πρὸς μὲν τοὺς ἀλιτρίας ἰὼν* collata Hesychii glossa *ἀλιτρίας, ἁμαρτωλούς*. Ceterum nodum quod aiunt in scirpo quaesivit Duentzerus cum coniiceret Philol. 5 p. 380 *πρὸς μὲν τὰς ὅλας τιμὰς ἰδών*.

Progrediamur iam ad tales locos sat frequentes, ubi poetae verba librariorum oscitantia falso iterata vel retracta tenemus. Ac compluscula huiusmodi mendorum exempla sanare studuerunt cum alii tum Piersonus Verisim. p. 224 sq. etsi in his paullo timidius versatur. „Plura enim, inquit, ad manum sunt quae adderem, nisi vel sic vererer, ne criticomastiges, difficile hominum genus, haec tamquam temeraria et violenta explodant.“ Confidentius nuper de hac singulari vitiorum causa egit Heimsoethius stud. crit. p. 157 sq., prooem. aest. univ. Bonn. 1867 p. XIX. Nec tamen convenit mihi cum viro doctissimo in loco Chaeremonis quem legimus ap. Stob. ecl. 1, 6, 15 p. 202 (N. p. 611)

ἅπαντα νικᾷ καὶ μεταστρέφει τύχη,
οὐδεὶς δὲ νικᾷ μὴ θελούσης τῆς τύχης,

ubi in priore senario verbum *νικᾷ* e sequenti falso retractum putans commendat

ἅπαντα κινεῖ καὶ μεταστρ. τ. κτέ.

Sic nimirum acumen illud, quo verbum verbo contraponitur, imprimis Euripidis et tragicorum minorum dictioni exquisitiori proprium, obtunderetur. Ceterum Nauckius comici poetae esse versum alterum vix recte suspicatur. Neque enim, quod canon Porsonianus laeditur, satis duco, cur versum tragico abiudicemus. Esto enim, comici sit nescio cuius

*) Sero vidi in hanc coniecturam iam Meinekium incidisse Stob. flor. vol. III. p. XXX.

versus! Quid, quaero, in iocum vertit ille, quid risum potest movere? — Immo opinor emendandus erat versus ad artem tragicorum, et perfecit emendationem Meinekius Com. 4 p. 39: *οὐδεὶς δὲ νικᾷ μὴ θεληθάσης τύχης*. — Quam proclivus sit error in diiudicandis tragicorum et comicorum frustulis, alio exemplo nuper docuit Hauptius Hermes I p. 28, ubi Sophoclis locum ap. schol. Aesch. Pers. 181 iure contra Nauckii (p. 255) suspiciones defendit. —

Pergamus recensere aliorum quaedam conamina, ut dein ipsi quid vires quamvis, fateor, exiguae possint, experiamur. Ante Eur. Med. v. 712 *παύσω δέ σ' ὄντ' ἄπαιδα καὶ παίδων γονὰς* Kirchhoffius lacunam indicavit, quid tamen poetam scribere vel potuisse putaverit, non item. Liquet autem Medeam v. 712 quid *εὕρημα* illud sit modo commemoratum explicare voluisse, *δὲ* igitur particulam ineptam esse. Forsan igitur recte suspiceris voculam *δὲ* ex antecedenti senario, ubi in eadem fere sede positam videmus, huc falso illatum esse. Quod unice loco convenit, *παύσω γὰρ ὄντ' ἄπαιδα κτἑ.* iam Nauckius stud. Eurip. I p. 122 proposuit. — Med. v. 1177 — 78 codices sic exhibent *πέπλοι τε λεπτοί, σῶν τέκνων δωρήματα, λεπτὴν ἑδαπτον σάρκα τῆς δυσδαίμονος*. Falsae adiectivi *λεπτὸς* iterationi etiam id favebat, quod *λεπτὴν* et *λευκὴν* per literarum similitudinem facile inter se commutari poterant. *λευκὴν* recte iam Musurus in Aldina e coniectura recepit frustra nunc Nauckio stud. Eurip. I p. 133 obloquente. Negat ibi vir doctissimus carnem dilaceratam ullo pacto *λευκὴν* appellari posse. Sed nihil impedit quominus Glaucae carnem tunc candidam necdum flammis exulceratam cogites. —

Hippol. v. 505 libris sic traditur corruptissime

καὶ μή γε πρὸς θεῶν εὖ λέγεις αἰσχρὰ τάδε
πέρα προβῇς τῶνδ'

Precantem Phaedram, ne nutrix dicere pergat, non a vocula *καὶ* incipere posse, viderunt Kirchhoffius et Nauckius, quo ex fonte mendum fluxerit non indicarunt. Apparet autem

initium versus facile e. v. 501 praecedenti *καὶ μὴ μεθήσεις κτἑ.* iterari potuisse a librariis. Porsoni inventum *καὶ μή σε πρὸς θεῶν κτἑ.* quod valde placuit Nauckio stud. Eurip. II p. 19, plus uno nomine reiiciendum est. In omnibus enim locis ubi pronomen *σὲ* sic elliptice cum formula *πρὸς θεῶν* coniunctum obtestandi loco usurpatur, hanc legem constanter valere observavimus, ut pronomen inter praepositionem et substantivum collocetur. Nec profecto causa cur id soleant latet: etenim si verbum orandi vel obtestandi non adiiciebatur, verendum fuit, ne quis pronomen falso dirigeret, ac pronomen sic nude positum tamquam fulcro indigebat. Ergo ne ulla ambiguitas remaneret, pronomen solenni more inter nomen et praepositionem collocarunt. Conferas mecum exempla: Hipp. 600 *ναὶ πρός σε τῆς σῆς δεξιᾶς εὐωλένου*, ib. 602 *ὦ πρός σε γονάτων, μηδαμῶς μ' ἐξεργάσῃ*, Phoen. 1667. *ναὶ πρός σε τῆσδε μητρὸς Ἰοκάστης, Κρέον*, Phoen. 926 *ὦ πρός σε γονάτων καὶ γερασμίου τριχός*, Alc. 285 *μὴ πρός σε θεῶν τλῇς με προδοῦναι*, Iph. A. 1235 *μὴ πρός σε Πέλοπος καὶ πρὸς Ἀτρέως πατρός*; alia exempla attulerunt Valcken. Eur. Hipp. v. 604, Elmsl. Eur. Med. p. 137, Reisigius Oed. Col. 241, Ellendtius lex. Soph. s. v. *πρὸς* II p. 648. Contra si verbum adiicitur, quo pronomen referri possit sine ambiguitate, tum pro re nata vulgaris collocatio invenitur. Velut ut pauca afferam: Iph. A. 1249 *ναὶ πρὸς γενείου σ' ἀντόμεσθα δύο φίλω*. Hec. 1105 *πρὸς θεῶν σε λίσσομαι* alia innumerabilia. Haud debebat igitur Nauckius l. l. quod Porsonus coniecerat vel quod Kirchhoffius *μὴ μή σε πρὸς θεῶν κτἑ.* et ipse commendare. Vocula *καὶ* ut diximus e versu 501 illata videtur illataque genuinam scripturam ante *γε* extrusisse. Reponas igitur prius hemistichium sic

μὴ νῦν γε πρὸς θεῶν —
πέρα προβῇς τῶνδ'·

scripsimus hoc respicientes versum 508, ubi ipsum *νῦν* suppeditatur verbis *νῦν ἀναλωθήσομαι*. Magis dubitare possis de sanatione alterius mendi huic versui adhuc inhaerentis *εὖ λέγεις αἰσχρὰ τάδε*. Sic enim legimus verba in codice A. *εὖ λέγεις αἰσχρὰ δὲ* exhibent B et C. Quod inde Kirchhof-

fius extricavit *εὖ λέγουσ' αἴσχη τάδε* vel *αἴσχιστα δέ*, utrumque parum aptum videtur, ut recte judicavit Nauckius l. l. In altero conamine offendit *αἴσχη*, in altero *δέ*. Propono haud ita audaci medela:

μή νῦν γε πρὸς θεῶν εὖ λέγουσ' ἃ μή σε χρὴ
πέρα προβῆς τῶνδ'·

Sed redeamus ad pronominis illam trajectionem in ellipticis obtestandi formulis, qua de dicere institui. Iph. A. v. 908 in editionibus hodie sic legimus *πρὸς γενειάδος σε, πρός σε δεξιᾶς, πρὸς μητέρος*· Est autem falsa Marklandi coniectura: reiicies eam, si libros inspexeris, qui versum sic exhibent *πρὸς γενειάδος, πρὸς σῆς δεξιᾶς, πρὸς μητέρος*· Ut igitur constanti quem observavimus usui satisfiat, scribendum est

πρὸς γενειάδος δέ, πρός σε δεξιᾶς, πρὸς μητέρος.

Nonnumquam autem haec formula brevitate excellens etiam in libris obscurabatur, velut in Euphronis loco ap. Stob. flor. 28, 11 ubi libri sic

καινοὺς πορίζου πρός με θεῶν θεούς,
ἵνα τοὺς παλαιοὺς μὴ ἐπιορκῇς πολλάκις.

Recte nunc Meinekius Angli coniecturam secutus commendat *πρός σε τῶν θεῶν θεούς*, nisi quod articulus in his minus placet. Malim

καινοὺς πορίζου πρός σε θεῶν καινοὺς θεούς,

κτλ. i. e. novos reperito, per deos te oro, novos deos, ne veterum fallas usque et usque numina. — Latini scenici quo modo hanc collocationem imitati sint, docuit Obbarius Phil. 5 p. 145 sq. Ceterum sermo latinus etiam interiectiones inter praepositionem et nomen immittebat, velut formula „pro deum atque hominum fidem“ similes arguunt. Notum enim est p r o nihil aliud esse quam per o, unde per syncopen ortum est. — Sed revertamur ad perversas istas singularum vocum iterationes, quarum alia, haud pauca in tragicorum codicibus exempla invenies. Adiungimus locum difficilem illum quidem nec tamen plane desperatum, quem legimus Eur. Andr. v. 1144 -45. Chori anapaestos libri mss. sic praebent

αὐτός τε κακοῖς πήμασιν ἔκυρσας
εἰς ἓν μοίρας συνέκυρσας.

Atque in priore versiculo hoc loco a librariis peccatum esse, hodie plerique consentiunt. Ut Kirchhoffium audiamus. „Videtur *ἔκυρσας* librarii errore aliquando e versu sequente huc illatum esse.“ Quod quidem iam arguere videtur iunctura *πήμασι κῦρσαι* epicorum magis quam tragicorum stilum resipiens: cf. Nauckius stud. Eur. II p. 124. Eidem hoc quoque largiemur, verba *εἰς ἓν μοίρας συνέκυρσας* sola per se non intelligi, immo flagitari verbum motum indicans, quocum struantur verba *εἰς ἓν μοίρας*. Quare explodendum est quod Herwerdenus l. l. p. 137 festinantius proposuit *πήμασι πληγείς*. Probari hoc non potest nisi *εἰς ἓν μοίρας* removebimus, velut Nauckius temptabat *αὐτός τε κακοῖς πήμασι πληγεὶς καινῇ μοίρᾳ συνέκυρσας*. Hanc autem medicinam plane desperatam esse ac temerariam ipse concessit l. l. Conieci igitur

αὐτός τε κακοῖς πήμασι πίπτων
εἰς ἓν μοίρας συνέκυρσας.

Certe hoc vel simile verbum reponendum est, velut Bergkius noster coniecit *πήμασιν ἐλθών*. Conferas autem consimile hujus structurae exemplum Herod. 8, 87 *συνεκύρησε ἡ νηῦς κατὰ τύχην καραπεσοῦσα*. Ceterum de alio mendo quod hunc locum maculavit, infra ubi de glossematis agimus, verba faciemus. — Atque haec iterationum menda etsi, ut iam in praefatione monuimus, plane certa ratione emendari vix possunt, hoc tamen tenendum est, tale nonnumquam vocabulum restitui posse, quale etiam per literarum similitudinem facile ansam falsae iterationis praebere poterat. Ut unum exemplum afferamus: in Alcest. v. 685, ubi chorus Admetum adhortatur, ne patris animum denuo instimulet, quaeritur, quaenam vox loco verborum *ὦ παῖ* e sequentibus retractorum excidere potuerit, quae et sententiae satisfaciat et librarios paullo facilius fefellerit. Ac sententiam spectans verisimile duco a choro verecundam senis aetatem diserte memoratam esse, quam

filius ea qua par erat pietate vereri deberet. Si literas respicis, vix aliud vocabulum invenies, unde proclivius librarii oculi ad sequentis versus initium delabi potuerint quam *παλαιός*. Ut haud sine ulla probabilitate hoc loco scribamus

παλαιοῦ πατρὸς δὲ μὴ παροξύνῃς φρένας.

Sunt autem forsan qui praeferant *παλαιοῦ δὲ πατρὸς* κτἑ. propter traiectionem particulae *δέ*, cuius tamen haud rara exempla inveniuntur cf. Eur. frg. 417 N. vs. 4. De anapaesto cf. Eur. Electr. v. 496 *παλαιόν τε θησαύρισμα Διονύσου τόδε*. — Simili via sanandum erit Euripidis fragmentum Oedip. N. 547 quod apud Stob. flor. 67, 1 sic traditum est

μεγάλη τυραννὶς ἀνδρὶ τέκνα καὶ γυνή·
ἴσην γὰρ ἀνδρὶ συμφορὰν εἶναι λέγω
τέκνων θ' ἁμαρτεῖν καὶ πάτρας καὶ χρημάτων
ἀλόχου τε κεδνῆς, ὡς μόνον τῶν χρημάτων
ἦ κρεῖσσόν ἐστιν ἀνδρί, σώφρον' ἢν λάβῃ.

Graviorem his versibus corruptelam insidere, omnium iudicium conspirat. Nec tamen obscurum est, quid Oedipum his dicentem fecerit poeta, recteque id in universum Welckerus trag. graec. 2 p. 542 et Wagnerus in edit. s. adumbrarunt. Senex regno oculorumque lumine orbatus ipse se consolatur, quod proba uxor liberique adhuc supersint. Ut iam bona uxor ei multo praestabilior videatur quam opum quarumlibet possessio. cf. Antig. frg. N. 164. Haec est enim sententia versuum 4 et 5 quos cum Fixio sic forsan scripseris: *ὡς μόνον τῶν χρημάτων | κρεῖσσον τόδ' ἐστὶν ἀνδρί, σώφρον' ἢν λάβῃ* collato Eur. frg. N. 199 vs. 3 *κρεῖσσον τόδ' ἐστὶ* κτἑ. Sane haec sanatio dubitationi obnoxia videatur: utut tamen in singulis locum mutaveris, seu cum Musgravio *κράτιστόν ἐστιν ἀνδρὶ* κτἑ. seu cum Dobreo scripseris *γυνὴ ἐστι κρεῖσσον ἀνδρὶ* κτἑ., semper talem qualem diximus sententiam elici concedes. Cui sententiae si quid video vehementer repugnat id quod antecedentibus versibus poeta pronuntiavit. An parem viro esse calamitatem (*ἴσην ἀνδρὶ συμφορὰν εἶναι*), si quis liberis vel

patria vel opibus vel uxore bene morata privetur, eundem sibi persuasisse putabimus, qui (*ὡς μόνον — λάβῃ*) solam probae uxoris possessionem opibus anteponat? Sententias has fere toto caelo inter se discrepantes una eademque periodo vix credimus comprehendi scenicoque qui dicitur philosopho obtrudi posse. Immo e contrario minime pariles viro quas enumerat iacturas Oedipus iudicasse putandus est. Quare in temeritatis crimen vix incurrat qui de librarii oscitantia hoc loco cogitet. Ac circumspicientem quae tandem vox supervacua in his versibus vel languida videatur, fugere non potest vocis *ἀνδρὶ* ter intra quinque versuum spatium iteratae haud parva molestia. Nec obloquar si quis in vs. 2 vocabulum *ἀνδρὶ* e versu priore falso repetitum esse coniiciat, ut poetam scripsisse suspicemur

ἴσην γὰρ οὐχὶ συμφορὰν εἶναι λέγω
τέκνων θ' ἁμαρτεῖν καὶ πάτρας καὶ κτημάτων (sic G. Herm.)
ἀλόχου τε κεδνῆς κτἑ.

Sic demum recte poetaque digne sententiae se excipiunt: „Magni regni instar viro sunt liberi et uxor. Parilem enim minime iacturam esse dico, liberis aut patria aut possessionibus aut uxore orbari, cum hoc unum opibus praestabilius sit viro, si probam (uxorem) duxerit.“ In particulis *τὲ - καὶ - καὶ - τὲ* noli haesitare. Notum est apud Graecos ibi nonnunquam particulas coniunctivas inveniri, ubi nostro sensu adversativas exspectamus velut Eur. Belleroph. frg. 287 N. vs. 3 sq. *τρισσῶν δὲ μοιρῶν ἐγκρινῶ νικᾶν μίαν πλούτου τε χὤταν σπέρμα γενναῖον λιροσῇ πενίας τ'*, i. e. aut divitiarum aut eius cui nobile genus est aut egestatis. — Ceterum in versu primo forsan cum Bergkio nostro scribendum erit *μεγάλῃ τυραννὶς ἀνδρὶ καὶ κεδνὴ γυνή*. Idem inter versus 3 et 4 aliquid intercidisse vidit. — Infelix est Meinekii coniectura in vs. 1 reponentis *μεγάλῃ τύχῃ τις* pro *μεγάλῃ τυραννίς*, quae ne literarum quidem similitudine satis commendatur. Quid? si Oedipus ipse in antecedentibus ad nostros versus ita sibi viam patefecerat, ut auditores verborum *μεγάλῃ τυραννὶς κτἑ.* notionem tra-

laticiam statim intelligerent? Velut, ut ipse aliquid ludam poterat dicere *σκῆπτρόν τε τοὐμὸν ἐρρέτω πρὶν ὄλβιον καὶ μοι παλαιὰ τῆς τυραννίδος χλιδή· μεγάλη τυραννὶς κτἑ.* Si modo sententiam eiusmodi vel huic haud absimilem antecessisse statuimus, etiam vox *τυραννὶς* sicut voluit poeta statim intelligitur: magni regni i. e. summi boni instar quo olim fruebatur, seni nunc sunt liberi et uxor. E quibus tantum infortunii sui solatium capit, ut fidam uxorem nunc vel omnibus anteponat. Infirmatur Meinekii illa suspicio etiam eo, quod idem fere versus etiam in Men. monost. 363 legitur *μεγάλη τυραννὶς ἀνδρὶ τελοῦσα καὶ γυνή*, ubi nihil aliud legendum esse quam quod in Euripidis loco recte iudicavit Nauckius annal. Marb. 1855 p. 118. — Haud absimilis eiusdem vocabuli inepta iteratio suspicionem movit in Eur. Antig. frg. N. 176 ubi versuum trium initia legimus *Θάνατος γὰρ κτἑ.* - | *ἔχει· τί γὰρ κτἑ.* | *τίς γὰρ κτἑ.* quode loco cf. Nauckius Philol. 12 p. 194. Pauca alia quae ad hanc de falsa vicinorum vocabulorum iteratione quaestionem spectant, infra ubi de interpolatione agimus in medium afferemus.

II.

Progrediamur iam ad alterum mendorum genus, in quo etsi arte palaeographica prorsus carere non possis, praecipue agitur de grammaticorum interpretamentis insulsisve sciolorum additamentis, quae olim in margine adscripta vel inter versus interposita textum male immigraverint. Apparet autem in dies magis vel in antiquissimis codicibus metaphrastas non modo remotioribus verbis notiora interpretando substituisse sed nonnumquam etiam ea quae statim unusquisque intelligeret interpretamentis onerasse atque ita verba fere verbis reddidisse ut forsan plura quam antea critici putarunt glossemata textum irrepsisse recte suspiceris cf. Heimsoethius prooem. aest. univ. Bonn. 1867 p. VII. Atque hoc non solum in ipsos tragicorum codices nostros cadit sed etiam in aliorum scriptorum codicibus, qui paucos poetarum versus hic illic dispersos servarunt, nimia haec gram-

maticorum vel librariorum industria textum haud raro explicando variando novando mutavit, id quod cum aliorum tum Stobaei codices variis scripturis saepius arguunt. Atque ad hoc genus viam munire liceat talibus exemplis, ubi duo erratorum genera simul intrasse nobis persuasum est, alterum grammaticorum interpretatione natum, calami errore alterum. Huc refero Eur. In. fragmentum N. 421, quod Nauckius sic reposuit

> *κέκτησο δ' ὀρθῶς ἂν ἔχῃς ἄνευ ψόγου,*
> *κἂν σμικρὰ σώζου, τοὔνδικον σέβουσ' ἀεὶ κτξ.*

in vs. 2 Stobaeus flor. 94 alterum hemistichium sic exhibet *τοὔνεχ' ὃν σέβειν πρέπει*, flor. 9 *τῇ δίκῃ ξυνοῦσ' ἀεί*. Atque haec lectionum discrepantia quae in nulla literarum similitudine versantur, tanta est, ut frustra primum intuens quaeras, quo pacto ex una eademque manare potuerint. Apparet autem eum emendandi conatum praestantissimum esse, qui utriusque lectionis maxime rationem habeat et quomodo duae inter se copulari possint, doceat. Contra ea criticorum conamina qualiacumque sunt in antecessum addubitanda sunt, quibus altera tantummodo lectio respicitur nec docetur, qualis fuerit harum diversitatum fons communis, velut Grotii commentum *οὕνεκ' εὐσεβεῖ πρέπει* vel viri docti ap. Gaisf. *σώζων νοῦν ἔχ' ὅν σ' ἔχειν πρέπει*. Nec melius est, quod Iacobsius coniecit *σῶσον νοῦν ἔχων ὅν σ' ἐμπρέπει*, ut de aliis etiam inelegantioribus taceam. Vides iam omnibus his inventis id commune esse ut scriptura flor. 9 *τῇ δίκῃ ξυνοῦσ' ἀεὶ* prorsus negligatur. Rimantibus autem mendi originem primum nobis a verbis *ὃν σέβειν πρέπει* in flor. 94 proficiscendum est. Sint velim haec verba disputationis fundamentum quibus alia superstruamus. Quaeramus iam, quam potissimum vocem Graeculi per *πρέπει* verbum explicare consueverint. Hoc nullum aliud vocabulum est quam *δεῖ* cf. Suid. et Hesych. *δεῖ· πρέπει*, schol. ad Eur. Hec. 228 *τὸ μὲν δεῖ ἀντὶ τοῦ πρέπει* aliosque testes fere innumerabiles. Quocum verbo si composueris eam quam flor. 9 servavit lectionem *ΔΕΙ*, iam concedes versum in archetypo per *ΔΕΙ* conclusum fuisse vel, si unam

simillimamque literam addere licet, per *ΑΔΕΙ* i. e. *ἃ δεῖ*. Quibus verbis *ἃ δεῖ* coniicio in archetypo adscriptum fuisse pro interpretamento *ἃ σέβειν πρέπει*, quod tum in textum quem praebet flor. 94 illatum metri necessitate commutatum est in *ὃν σέβειν πρέπει*. Magistellus nimirum explanare studuit solitam quae in formula *ἃ δεῖ* invenitur infinitivi ellipsin, quade etsi iam supra verba fecimus, conferas tamen Eur. Hec. 336, fragm. In. 417 N., Soph. Oed. Col. 172, frg. Thyest. 240 N., Trach. 336, trag. adesp. frg. 431 N. alia permulta. Quod si recte suspicati sumus ab interprete quondam verba *ἃ δεῖ* explicata fuisse per *ἃ σέβειν πρέπει*, ultro iam consequitur, clausulae *ἃ δεῖ* formam quandam verbi *σέβειν* antecessisse. Haec quae fuerit forma sententia docet: scilicet participium praesentis. Repone igitur

κέκτησο δ' ὀρθῶς· ἂν ἔχῃς ἄνευ ψόγου,
κἂν σμικρὰ σώζου . . . σέβων ἃ δεῖ.

In quo iusta prioris senarii interpunctio Bergkio debetur. Idem etsi retinere mavult scripturam flor. 9 *τῇ δίκῃ ξυνὼν ἀεί*, recte monuit, masculinum reponendum esse. Vix enim quadrant tales admonitiones ad mulierem. Cf. Eur. Erechth. frg. N. 364 v. 11—15 ubi Erechtheus moriens Cecropem filium adhortatur *ἀδίκως δὲ μὴ κτῶ χρήματ', ἢν βούλῃ πολὺν | χρόνον μελάθροις ἐμμένειν — — — — ἔχειν δὲ πειρῶ κτἑ.* — In lectione flor. 9 *τῇ δίκῃ ξυνοῦσ'* haud scio an latitet genuinum *ξὺν δίκῃ*, quod quidem pro notione huic loco perappositum est: *κἂν σμικρὰ σώζου ξὺν δίκῃ σέβων ἃ δεῖ*. Formula *σὺν δίκῃ* idem valet ac *δικαίως* adverbium saepiusque apud tragicos occurrit: Phoen. 493 *πάντα πράσσων σὺν δίκῃ*, ib. 153 alibi. — Consimili modo Eur. El. v. 1141 maculatum videmus. Verba *θύσεις γὰρ οἷα χρή σε δαίμοσιν θύειν* vitio metrico laborant: paenultimam verbi *θύειν* tragicos non corripere docuit Meinekius Com. 4 p. 547. Etiam ex hoc versu *θύειν* ut ab interprete profectum eiiciendum est. Nec sine probabilitate Kirchhoffius *θύσεις δὲ θύμαθ' οἷα χρή σε δαίμοσιν*. Particulae *δὲ* et *γάρ*, quoties locum inter se mutaverint in codi-

cibus nemo nescit cf. supra p. 22. Contra refutanda est Nauckii coniectura qui reponi vult *θύσεις γὰρ οἷα χρή σε δαίμοσιν θύη*. Cum enim alia via sat probabilis in aperto sit, nolo *θύος* vocem inducere quod nisi quid praefervidi apud Euripidem alibi non legitur. — Ut aliud huius corruptelae exemplum promam Iph. T. versum 335, dubitationi haud obnoxium est, quin poeta sic dederit *τὰ δ' ἐνθάδ' ἡμεῖς φροντιοῦμεν οἷα δεῖ*, quam emendationem occupavit Badhamus, qui commendavit *φροντιοῦμεν οἷα χρή*. Ut ellipsin expediret, interpres ni fallor addiderat *οἷα φροντίζειν* vel *φροντιεῖν δεῖ*, quod interpretamentum post in textum migrans in hemistichii speciem concinnatum est, ut hodie in nostris codicibus perversa ista legamus: *οἷα φροντιούμεθα*.

Sed redeat unde delapsa est oratio. Duo vitiorum genera simul deprehendere mihi videor in Sophoclis Nauplii fragmento N. 398. Legitur frustulum impeditissime ap. Stob. flor. 104, 3 sic

τῷ γὰρ κακῶς πράσσοντι μυρία μία
νὺξ ἐστιν εὖ παθόντα εἶθ' ἑτέρα θανεῖν.

ἡτέρα praebet codex M. Ut verba posterioris versus corruptissima sunt, ita sententiam coniectura facile assequimur: „Miseris nox perlonga videtur vel una est pro plurimis, felicibus autem — sic poetam perrexisse coniicimus — dies citius illucescit.“ Abhorret autem non modo a literis sed etiam a sententia, quod Meinekius proposuit in Addendis ad Stob. flor. vol. IV p. LXXXI: *εὐπαθοῦντι δ' οὐκ ἔρως θανεῖν*, nisi quod *εὐπαθοῦντι δ'* scribendum esse recte statuit. Seyfferti coniecturam in nov. Mus. Rhen. XV p. 615 *τῷ γὰρ κακῶς πράσσοντι μυρία μία νὺξ ἐστιν, εὖ παθόντι δ' ἡμέρα φανεῖ*. plus uno nomine refellendam esse dudum critici intellexerunt: cf. Nauckius stud. Eurip. II p. 75. Ut una causa defungar: in verbis *νὺξ — ἡμέρα φανεῖ* particulae comparativae *ὡς* vel alius omissio intolerabilis est. Neque amplectar, quod Heimsoethius stud. crit. p. 47 proponit *τῷ γὰρ κ. π. μ. μ. | νὺξ ἐστιν, εὖ παθόντι δ' εὐθέως φθίνει*, quod ut a sententia haud alie-

num esse facile largimur, ita a literis plane recedit. Utrique igitur horum invento aliquid veri inesse videmus: in Seyfferti coniectura *ἡμέρα φανεῖ* ad literarum similitudinem quam proxime accedit, in altera sententia satis probabilis est; neutra tamen id quod maximum est mendi origo enucleatur. Si quid sapimus sententiae aeque ac literis optime succurrere possis sic

τῷ γὰρ κακῶς πράσσοντι μυρία μία
νύξ, εὐπαθοῦντι δ' εὐθὺς ἡμέρα φανεῖ.

i. e. „infelici enim una nox pro plurimis, felici autem dies cito illucescet.“ Primam originem corruptela inde traxit, quod grammaticus quidam vel librarius copulam *ἐστὶν* ut alibi suo more addidit. Ut unum huius consuetudinis exemplum afferam, ap. Stob. flor. 17, 5 (adesp. frg. 435 N.) legimus *διδάσκαλος γὰρ οὖσα ἡ εὐτέλεια τῶν σοφῶν*, ubi Grotius iam recte: *διδάσκαλος γὰρ ἡὐτέλεια τῶν σοφῶν*. Cum copula locum intrasset, verba nimirum ut species quaedam versus expromeretur, arctius contrahenda vel mutilanda erant librario. Atque *εὐθὺς* vocula eo facilius in *εἶθ'* corrumpi poterat, quod ante forsan librarius scripserat *εὐθύ*, inter quas formas saepissime fluctuant libri: cf. Eur. Syl. frg. 692 N. *τὴν πεῖραν εὐθὺ λάμβαν'*, pro quo Lobeckius recte *εὐθύς*. *Εὐθὺς* et *εὐθὺ* nonnumquam notiones inter se commutare apud tragicos falsa olim erat quorundam opinio: cf. Nauckius stud. Eurip. II p. 43. — Sic post haec, quae paullatim irrepserunt, errata nunc in libris legimus *νύξ ἐστιν εὖ παθόντα εἶθ' ἑτέρα* (*ἑτέρα* al.) *θανεῖν*. — Sophoclis hunc nobilem locum ante oculos habuisse videtur Lucianus epigr. 29 Iac. Anth. 3 p. 27

τοῖσι μὲν εὖ πράττουσιν ἅπας ὁ βίος βραχύς ἐστι·
τοῖς δὲ κακῶς μία νὺξ ἄπλετός ἐστι χρόνος.

Paullo differt in magna similitudine locus Apollodori Com. 4 p. 451, quem nunc *Γαλάταις* vel *Γαλατείᾳ* adscripsit Meinekius Stob. flor. vol. III p. XL *τοῖς γὰρ μεριμνῶσίν τε καὶ λυπουμένοις | ἅπασα νὺξ ἔοικε φαίνεσθαι μακρά.*

Apparet autem ibi imprimis interpretes manum admovisse, ubi iam antea locum calami lapsus maculavit. Atque

uberius de hoc mendorum genere disseruit Nauckius stud. Eurip. II p. 154 sq. Hunc veterum interpretum corrigendi morem si satis observaveris, iure dubitabis, num poetae manum teneamus Iph. A. 1369 verbis

μῆτερ, εἰσακούσατε
τῶν ἐμῶν λόγων· μάτην γὰρ εἰσορῶ θυμουμένην
σῷ πόσει

Cod. *B* enim prima manu habet τῶν ἐμῶν· μάτην γὰρ εἰσορᾶ κτέ., vocem λόγων post τῶν ἐμῶν addidit demum manus secunda. Vix recte opinor. Malim

τῶν ἐμῶν ἐπῶν· μάτην γὰρ εἰσορῶ θυμουμένην

Post ἐμῶν certe nihil facilius excidere potuit quam ἐπῶν.

Eiusd. fab. versum paullo antecedentem 1348 legimus sic

ὡς χρεὼν σφάξαι νιν Κ.Λ. κοὐδεὶς ἐναντία λέγει;

manus demum secunda in cod. *B* post κοὐδεὶς addidit metri causa τοῖσδ'. Ex recentioribus hoc recepit Heathius deleto καί. Suo tamen iure hunc conatum rudem appellavit G. Hermannus. „Nam necessarium est, ut ipsius verbis utar, καὶ in quaestione mirantis atque indignantis." Nisi igitur egregie fallor scribendum est

ὡς χρεὼν σφάξαι νιν Κ.Λ. οὐδεὶς κᾆτ' ἐναντίον λέγει;

Primum ni fallor κᾆτ' transiit in καί. Saepius autem voculam κᾆτα in καὶ detritam videmus velut in Sophoclis loco apud Stob. flor. 59, 12 (N. 574) vs. 2 ubi Meinekius optime restituit τῆς γῆς ἐπιψαύσαντα κᾆθ' ὑπὸ στέγῃ. Idem forsan mendum maculavit Euripidis fragmentum ap. Stob. flor. 74, 10 (N. 1046)

μοχθοῦμεν ἄλλως θῆλυ φρονροῦντες γένος·
ἥτις γὰρ αὐτὴ μὴ πέφυκεν ἔνδικος,
τί δεῖ φυλάσσειν κἀξαμαρτάνειν πλέον;

ubi certe concinnior evaderet oratio si legeremus κᾆθ' ἁμαρτάνειν πλέον; — Dein, ut ad Iphigeniae Aulidensis locum revertamur, librarius de metro non sollicitus solitam verborum collocationem revocans scripsit κοὐδεὶς. Postremo versus explendi gratia corrector ut iam dixi τοῖσδ' de suis

suppeditavit. In particulae *καὶ* traiectione quam revocavimus noli haesitare cf. Eur. Alc. 846 *ποῦ καί σφε θάπτει*; Eur. In. frg. N. 407 *ποῦ καί ποτ' οἰκεῖ κτἑ.* (alia id genus permulta. — Simili ratione grammatici nescio cuius correctura repellenda erit in eod. dram. v. 1287, quem codex *B* sic tradit lacunose

θύσεις δὲ παῖδ' ἔνθα τίνας εὐχὰς ἐρεῖς;

Aldina et cod. *C* e correctura exhibent

θύσεις δὲ τὴν παῖδ' ἔνθα τίνας εὐχὰς ἐρεῖς;

Vix tamen rudem hunc conatum probabis. Articulus enim plane supervacuus est. Magis artis fuerit lacunam explere glossa remota sic

θύσεις δὲ τέκνον· ἔνθα τίνας εὐχὰς ἐρεῖς;

Persaepe fluctuant libri inter *τέκνον* et *παῖς* ita ut hoc ex interpretatione ortum sit, velut Phoen. 18 Euripidis codices *τέκνων* exhibent, contra *παίδων* Orig. c. Celsum II p. 73, schol. Pind. Ol. II 65.

Qui in interpretandi hunc grammaticorum morem satis se insinuaverit, succurrere etiam poterit Eurip. inc. fab. fragmento (N. 1044) ap. Stob. flor. 71, 5, ubi prior versus multifariam corruptus sic exhibetur

ἐγὼ γὰρ ἔξω λέκτρα αὐτοῖς καλῶς ἔχειν.

Valckenarius recte ut videtur *ἐγὼ παρέξω*: ceterorum sanatio incerta, neque omnino ea sanari posse suspicor, nisi verba *λέκτρα αὐτοῖς* ex interpretamentis fluxisse conieceris. Forsan poetae verba assequimur sic coniectantes

ἐγὼ παρέξω σφιν λέχη (vel *γάμους*?) *καλῶς ἔχειν.*

Conferas Eur. Med. v. 402 *πικροὺς δ' ἐγώ σφιν καὶ λυγροὺς θήσω γάμους. Σφὶν* saepius per *αὐτοῖς* a grammaticis explicatum esse docet Hesychius glossa *σφίν· αὐτοῖς.* Simili ratione Matthiaeus Eur. frg. 565 N. pro librorum scriptura *σὺ δὲ τρέφοντα τοῦτον τρέφεις* restituit *σὺ δὲ τρέφοντά νιν τρέφεις.* —

Item duo errata simul irrepsisse puto in Iph. T. v. 345 quem in libris ita scriptum videmus

οἱ δυστυχεῖς γὰρ τοῖσιν εὐτυχεστέροις
αὐτοὶ κακῶς πράξαντες οὐ φρονοῦσιν εὖ.

Quam sententiam foede maculatam esse nemo non videt. Atque recte Seidlerus propter aoristum *πράξαντες* cogitavit de *καλῶς*, quod saepe cum *κακῶς* confudisse librarios, e permultis liquet exemplis. Ut sententia sit: „Infelices qui ipsi aliquando felices fuerunt, felicioribus se non bene volunt.“ Haec autem ipsa „aliquando“ vox, quam Seidlerus interpretationi de suo inseruit, ne sic quidem locum mendo immunem esse liquido docet. Immo in hac sententia haud raro ab Euripide expressa simile quid exspectamus ac legimus Tro. v. 641 *ὁ δ' εὐτυχήσας εἰς τὸ δυστυχὲς πεσὼν | ψυχὴν ἀλᾶται τῆς πάροιθ' εὐπραξίας*, vel, ut grammatice dicam, solum aoristum tempus non sufficit ad pristinam fortunam denotandam; flagitatur additamentum velut *πρὶν* vel *ποτέ*. In hac autem difficultate iterum nos iuvat interpretum usus voculam *εὖ* per synonymum *καλῶς* haud raro variantium. cf. Hesych. *εὖ· καλῶς*. Iam igitur coniicio

οἱ δυστυχεῖς γὰρ τοῖσιν εὐτυχεστέροις
αὐτοὶ πρὶν εὖ πράξαντες οὐ φρονοῦσιν εὖ.

quode iam Koechlyus ut video in edit. Weidm. dubitanter utpote sententiae convenientissimo cogitavit. Erratorum igitur ni fallor ordo hic est: primum voci *εὖ* ab interprete glossa *καλῶς* adscripta est, quae in textum illata *πρὶν εὖ* verba metri necessitate extrusit. Dein calami lapsu librarius *καλῶς* ut saepissime corrupit in *κακῶς*. Plane repudianda sunt inventa qualia Hartungus (*αὖθις καλῶς πράξαντες*) vel Engerus (Mus. Rhen. XVII 4 p. 612 *αὐτίκα κακῶς πράξαντες*) quode iam Koechlyus praeff. ed. Weidm. dubitavit, protulerunt. Nostra emendatio inde etiam praesidii aliquid trahere videtur, quod Byzantina quae dicitur recensio eiusdem vocabuli vicinitatem evitare studebat ac nonnumquam, ut observavimus, etiam talem eiusdem vocis repetitionem delebat, qualem ab ipso poeta constat admissam vel etiam affectatam esse. Quo factum est, ut in iis dramatis Euripideis, quae deterioribus et interpolatis libris mss. ad nostram memoriam pervenerunt, multo rarius vocabula recte falsove

iterata occurrant quam in iis quae in libris notae melioris exarata leguntur. Quid inde consequatur neminem fugit. Nam si constat librarios nonnunquam iterationes quae poetico vigori haud raro inserviunt, vel oscitanter vel consilio neglexisse, nobis quamvis cautius inquirendum est, si qui loci iteratione in locum reducta pristinam formam recuperent. Sic haud improspero successu Nauckius in his nonnulla temptavit cf. Med. 1044, 1116. Palam. frg. 584 alibi. —

Disputavimus supra de Androm. v. 1144—45. Quod ibi diximus ad structuram spectat: in sententia versuum adhuc aliquid requiri recte monuit Lentingius. Neque enim perspicitur, quocum tandem in eandem fortunam Peleum incidisse chorus significaverit. Minime igitur peractum est de loco, si quis versiculos sic iustauraverit

αὐτός τε κακοῖς πήμασι πίπτων (vel *πήμασιν ἐλθὼν*)
εἰς ἓν μοίρας συνέκυρσας.

Immo nisi phrasin *εἰς ἓν μοίρας* vagari voluit poeta, iterum Achillis filium Neoptolemum debuit memorare, quocum nunc Peleus eodem fere infortunio uti videretur. Quare G. Hermannus in fine prioris versus proposuit *τοῖς τοῦδ'* pro *ἔκυρσας*. De hoc invento quippe sat enervi vix iam verba facienda sunt. Probabiliorem enim viam emendandi ingredi mihi videor ita ut voci *πήμασι* quondam adscriptum esse putem interpretamentum *κακοῖς*, quod textui illatum aliud tum genuinum vocabulum extruserit. Nec non fieri potest ut ipsum hunc locum innuat Hesychius glossa *πήμασι· κακοῖς*. Exploso igitur supervacuo isto glossemate poetae manus sic fere redintegranda est

αὐτός τε κόρου πήμασι πίπτων
εἰς ἓν μοίρας συνέκυρσας·

i. e. „iuvenis miseriis simul accidit ut ipse eidem infortunio occumberes.“ Ne silentio praetermittam, Bergkius noster totum *παρατέλειπτον* excidisse suspicatur, quo iuvenis memoria facta sit. — *Ἰσονέκης* nimirum habetur Peleus a choro; videtur iam, ut aliis ipsius Euripidis verbis utar, *δειλαίου νεκροῦ μορφὰ* vel *νεκύων ἀμενηνὸν ἄγαλμα*, ut ipsa de se loquitur Hecuba Tro. v. 195. —

Interpretationis vestigia deprehendisse mihi videor in Eur. ¡Phrix. frg. N. 826 quod Stob. flor. 8, 7 tali forma tradidit

ἀνὴρ δ' ὃς εἶναι φῄς ἀνδρὸς οὐκ ἄξιον
δειλὸν κεκλῆσθαι καὶ νοσεῖν αἰχρὰν νόσον.

Formam *ἀνέρος* et propter usum et mensuram ab hoc loco abhorrere neque omnino in senariis locum habere, recte statuit Nauckius observ. crit. p. 50. Idem quod Duentzerus Philol. 5 p. 190 temere suasit: *ἀνὴρ δ' ὃς εἶναι φής, οὐκ ἄξιον σέθεν*, uno verbo refellit; nec non recte iudicavit de Kayseri invento Fleckeis. ann. tom. 73 p. 233 *ἀνὴρ δ' ὃς εἶναι φής, ἆρ' ἐστὶν ἄξιον*. Etenim si omnino hic tali particulae locus esset, *ἆρα* ponendum erat, quod quidem metro repugnat. Nec magis arridet Herwerdeni sat inelegans conjectura l. l. p. 63 *ἀνὴρ δ' ὃς εἶναι φής, ἄνερ, σ'οὐκ ἀξιῶ*. Vel in Nauckii conatu *ἀνὴρ δ' ὃς εἶναι φησίν, ἄνδρ' οὐκ ἄξιον* vix persistas. Si enim ita generaliter sententiam pronuntias tertia persona recepta *φησίν*, vox *ἄνδρ'* post *ἀνὴρ* repetita si minus molesta at supervacua est. Videndum autem est, ne interpretis nescio cujus additamentum criticos ludificetur. Nisi fallor scriptura *ἀνδρὸς* soli interpreti debetur, qui ex praecedenti verbis *οὐκ ἄξιον* genitivum casum explicandi gratia adscripsit. De huiusmodi additamentis Heimsoethius et alibi uberius disputavit et attigit rem st. crit. p. 308. Nescio igitur an poeta simplicius scripserit

ἀνὴρ δ' ὃς εἶναι φησί, τόνδ' οὐκ ἄξιον
δειλὸν κεκλῆσθαι καὶ νοσεῖν αἰσχρὰν νόσον.

Haesitavit forsan interpres iste in pronominis *τόνδ'* collocatione quae olim vel Buttmannum offendit ad Soph. Phil. 86, quem dudum refutavit Ellendtius lex. Soph. 2 p. 273. Nolo autem praetermittere quod Bergkius noster suasit de decurtata infinitivi terminatione cogitans

ἀνὴρ δ' ὃς εἶν φής, ἀνδρὸς ἴσθ' οὐκ ἄξιον
δειλὸν κεκλῆσθαι κτἑ.

Ceterum de frequenti metaphora *νόσον νοσεῖν* conferas interpretationem grammatici in Bekk. Anecd. p. 109, 17

νόσον νοσεῖν· ἀντὶ τοῦ φαῦλον ἦθος ἔχειν· Εὐριπίδης Ἀντιόπῃ· —

Item *ἀνὴρ* interpretis nescio cuius supplementum videtur in Eur. Temen. frg. N. 736, quod servavit Stobaeus flor. 126, 6.

ἡ δ' ἐν ὀφθαλμοῖς χάρις
ἀπόλωλ' ὅταν τις ἐκ δόμων ἀνὴρ θάνῃ·

sic solus codex M. ceteri mire *ἔλθῃ*. Unde quod olim scribendum suspicabatur Nauckius *ἐληλύθῃ*, recte mox ipse abiecit. Nec tamen idem mihi persuasit Philol. 12 p. 194 ubi vulgatae *ἀνὴρ θάνῃ* patronus exstitit allegato loco Iph. T. 980 *οὐ γὰρ ἀλλ' ἀνὴρ μὲν ἐκ δόμων θανὼν ποθεινός*. Semper enim miretur aliquis et de constructionis ratione et unde nata sit mira illa librorum discrepantia: *ἀνὴρ θάνῃ — ἔλθῃ*. Ni fallor ipso verbo *ἔλθῃ* interpretamenti cuiusdam frustulum tenemus et emergat forsan genuina lectio

ὅταν τις ἐκ δόμων φροῦδος θάνῃ·

cf. Mosch. frg. 8 p. 634 N. vs. 4 *ἐπὴν φροῦδος αἴσθησις φθαρῇ*. Sic apte coniungitur *ἐκ δόμων* cum notione motum aequante. Si memineris, quantum in interpolatis Iphigeniae Taur. libris interpreti debeatur, solivago isti exemplo parum tribues. Nisi aliunde quis certiora structurae *ἐκ δόμων θανεῖν* exempla attulerit, dubitare liceat, an hoc quoque loco pro *θανὼν* restituenda sit notio motum indicans. Audi Iphigeniae ad Orestem verba

οὐ μήν τι φεύγω γ' οὐδέ μ' εἰ θανεῖν χρεών,
σώσασά σ'.

Nihil vituperari posset si pergeremus

οὐ γὰρ ἀλλ' ἀνὴρ μὲν ἐκ δόμων
φροῦδος ποθεινός, τὰ δὲ γυναικὸς ἀσθενῆ. —

De alio simili talis additamenti exemplo egit Leutschius Philol. 23 p. 27. Item huc referre possis inc. trag. fragmentum (N. 313), quod falso sic legimus ap. Plut. Mor. p. 457 C

ἄνδρ' ἠδίκησας, ἄνδρ' ἀνεκτέον τόδε;

Neque enim dubito, quin hoc quoque loco interpres nescio quis alterum *ἄνδρ'* de dativi elisione haud sollicitus

suo Marte invexerit. Scribendum est aut cum Coningtono *ἄνδρ' ἠδίκησας, ἆρ' ἀνεκτέον τόδε*; aut quod mihi placuit *ἄνδρ' ἠδίκησας· πῶς ἀνεκτέον τόδε*; neque enim interest hoc loco literarum similitudinis. Nauckii interpunctioni *ἄνδρ' ἠδίκησας, ἄνδρ'· ἀνεκτέον τόδε*; nec numeri favent neque, id quod sensit iam Vratislaviensis editor, eiusdem vocis iterata elisio.

Diximus supra *δεῖ* verbum saepe *πρέπει* synonymo cessisse; eadem variandi ratione alia permutantur, velut pro *δεῖ* solent scribere interpretes vel etiam librarii *χρή*, pro *χρὴ* inverso ordine nonnumquam *δεῖ* vel *πρέπει*, pro *χρεὼν* haud raro *χρή*, cf. Hesych. *δεῖ· πρέπει, χρή*, et *χρή· δεῖ, πρέπει*. Vix igitur assentiar Nauckio, qui Eur. frg. 417 vs. 3 *ἃ μὴ πρέπον* scribendum esse inde colligit quod Orion flor. 1, 5 p. 41, 15 praebet *ἃ μὴ πρέπει*, Stobaeus flor. 89, 9 *ἃ μὴ χρεών*. Neque enim consociandas esse puto has diversitates per literarum similitudinem, immo fluxisse ex grammaticorum usu synonyma permutantium. Quem variandi morem si tenemus, forsan alios quoque locos adhuc mendosos sanare poterimus. Sic in Eur. Eurysth. frg. N. 376 quod corruptissime sic legitur ap. Stob. flor. 62, 23

πιστὸν μὲν οὖν εἶναι χρὴ τὸν διάκονον
τοιοῦτον (τ' M) εἶναι καὶ στέγειν τὰ δεσποτῶν

iam Wagnerus coniecit, in locum verbi *χρὴ* alteram formam *χρεὼν* supponendam esse nimis anxie tamen ut videtur verba *χρὴ τὸν* ad *χρεὼν* revocans ratione palaeographica. Quae effinxit (idem olim Meinekius ann. Marb. a. 1843 p. 189) *πιστὸν μὲν οὖν αἰεὶ χρεὼν διάκονον* aures tritiores repudiant numerique Castorione Solensi sunt digniores quam Euripide. Equidem si statuere licebit voculam *οὖν* ante *εἶναι* verbum per dittographiam quandam similium literarum irrepsisse, scripserim

πιστὸν μὲν εἶναι τὸν διάκονον χρεὼν
τοιοῦτον ὄντα καὶ στέγειν τὰ δεσποντῶν.

In versu altero enim *εἶναι* vox vel ex eadem prioris versus sede librarii oscitantia iterata est vel, id quod verisimilius est, magistello cuidam debetur, qui verba *τοιοῦτον*

ὄντα per τοιοῦτόν τ' εἶναι (sic cod. M.) interpretabatur. Concedo tamen, cum de antecedentibus et toto sententiarum nexu nihil in comperto sit, fieri posse, ut magis artis sit verba μὲν οὖν, quae corrigentis solent esse, sana relinquere. Atque hoc spectans Bergkius noster commendavit

πιστὸν μὲν οὖν χρὴ τὸν διάκονον [τὸ πᾶν]
τοιοῦτον εἶναι καὶ στέγειν τὰ δεσποτῶν.

Ceterum de Herwerdeni conatu, si modo conatus appellandus est, l. l. p. 49 πιστὸν μὲν οὖν ἀνάγκη τὸν διάκονον κτἑ.! tacere licebit. — Mentionem modo fecimus regulae illius, quam primus posuit Porsonus praeff. Hec. p. 29, dein alii velut Hermannus elem. doctr. m., Nauckius observ. crit. p. 15, stud. Eurip. p. 6 uberius tractarunt, qua quidem constat evitasse tragicos versus tales, ubi singulae dipodiae integris vocibus vel continebantur vel terminabantur, si iustae caesurae sic damnum fiebat. Atque in hanc vel nunc a criticis nonnumquam peccatum video. Velut nuper Heimsoethius stud. crit. p. 280 talem senarium Euripidi tribuit (frg. N. 1008)

δούλοισι γὰρ | ζῶμεν πόνων | ἐλεύθεροι.

Ceterum mihi quoque Pindari scholiastae (Pyth. 4, 71) verba ἐπειδὴ δὲ οἱ οἰκέται τῶν δεσποτῶν τοὺς πόνους διαλύουσι τῇ θεραπείᾳ, λυσιπόνους αὐτοὺς ἐκάλεσεν, ὡς Εὐριπίδης „δούλοισι γάρ τε ζῶμεν οἱ ἐλεύθεροι“ arguere videntur, Euripidem ipsum in lemmate voce πόνος usum fuisse. Sanatio loci, ut nunc corruptissime legitur, dubitabilis erit. Temptabam δούλοις γάρ ἐσμεν τῶν πόνων ἐλεύθεροι. Facilius iam, si canonem illum spectas, perferre possis versum talem ex Autolyci Euripideae fragmento ap. Ath. X p. 413 (N. 284) στάς· ἄνδρας οὖν ἐχρῆν σοφούς τε κἀγαθούς — et propter interpunctionem et quod σοφούς τε fere coalescit. Cum tamen duo codices pro ἐρχῆν exhibeant χρή, vix falso inde coniecisse opinor Dobraeum adv. 2 p. 325 στάς· ἄνδρας οὖν χρῆν τοὺς σοφούς τε κἀγαθούς.

Cum semel metricas senarii leges attigerim, pauca alia quae huc spectant proferam. Astydamantis locum apud Ath. IX p. 496 E (N. p. 604) sic scriptum videmus

ῥέοντα δώδεχ', ὧν τὰ μὲν δέκ' ἀργυρᾶ
ἦν, δύο δὲ χρυσᾶ, γρύψ, τὸ δ' ἕτερον Πήγασος.

Postremum senarium canoni qui dicitur Porsoniano adversantem vix intactum reliquissent critici (cf. Nauckius observ. crit. p. 29), si meminissent, quoties interpretes vel librarii *ἄλλο* vocem cum *ἕτερον*, *ἕτερον* cum *ἄλλο* commutarent. Scribendum erat *γρύψ, τὸ δ' ἄλλο Πήγασος*. Correctoris nisi fallor hoc loco manum deprehendimus, qui cum haesitaret in verbo *τὸ δ' ἄλλο* notionem „alterum" aequante, vulgare *ἕτερον* reposuit. Rarius aequat *ἄλλος* „alter" notionem, aequat tamen, velut Eur. Iph. T. 938 *ἐγὼ μὲν θάτερον λαβὼν βάθρον, τὸ δ' ἄλλο πρέσβειρ' ἥπερ ἦν Ἐρινύων*. — Eiusdem librorum variationis addam exemplum quode Heimsoethius disseruit prooem. aest. 1867 p. IV. Theophili fragmentum (M. 11) apud Athenaeum XIII p. 563 legitur sic *εἰ γὰρ ἀφέλοι τις τοῦ βίου τὰς ἡδονάς, | καταλείπετ' οὐδὲν ἄλλο πλὴν τεθνηκέναι*. Apud Stob. flor. 63, 12 *καταλείπετ' οὐδὲν ἕτερον ἢ τεθνηκέναι*. — Similem medelam desiderat Euripidis locus Suppl. 574 ubi Theseus gloriatur

πολλοὺς ἔτλην δὴ χἀτέρους ἄλλους πόνους.

In hac verborum iunctura vocem *ἄλλους* interpretamentum odorari pauci negabunt. Rescribendum est

πολλοὺς ἔτλην δὴ χἀτέρους ἐγὼ πόνους.

Simplicitate magis commendatur haec mea sanandi ratio quam Nauckii, qui proposuit *πολλοὺς ἔτλην δὴ χἀτέρους ἄθλους ἐγώ*. Quamquam haud negaverim fieri potuisse, ut vox *ἆθλος* nonnumquam per *πόνος* explicaretur. Propter eundem Porsoni canonem reiecerunt critici eos tragoediae versus, quorum quintus pes incipit ab *ἔστ'* vel *ἐστ'*. Forsan elisione verba ita arcte coalescunt, ut in rythmo nihil desideres: memorandum tamen est quatuor vel tria tantum talium versuum in tragoedia exempla exstare, quae medelae haud repugnent. Eur. Or. 608 in libris legitur *μᾶλλον δ' ἐκείνη σοῦ θανεῖν ἐσ' ἀξία* pro quo Elmsleius *ἐπαξία*. Bacch. 239 item pro *ἔστ' ἀξία* scripsit *ἐπαξία* Dindorfius. In Euripidis fragmento (N. 967) quod exstat ap. Plut. Mor. p. 532

F et Men. mon. 222 libri habent *ἡ γὰρ σιωπὴ τοῖς σοφοῖς ἐστ' ἀπόκρισις*, in nonnullis tamen non invenitur *ἐστ'*. Quare Nauckius proposuit *τοὶς σοφοῖσιν ἀπόκρισις*. Restat Euripidis versus ap. Stob. ecl. 1, 4, 2ᵇ p. 154 (N. 301)

πρὸς τὴν ἀνάγκην πάντα τἄλλ' ἔστ' ἀσθενῆ.

Et erit fortasse qui in extrema dipodia de interpolatione cogitet, ut poeta scripserit *πρὸς τὴν ἀνάγκην πάντα τἄλλα δεύτερα*. Conferas cum hoc consimilia Sophoclis verba in fragmento ap. Stob. flor. 91, 28 *κἄστι πρὸς τὰ χρήματα θνητοῖσι τἄλλα δεύτερ'*. Sed, ut iam dixi, forsan omnino in his locis librorum scriptura defendenda est a coniecturis, et sic iudicavit Bergkius. — Pergamus autem interpretum morem amplius persequi. Solebant illi, ut notum est, particulas explicandi gratia suprascribere, quae dein haud raro in versus illatae textum foedabant. Imprimis hunc usum in *γὰρ* particula observare possis. Sic interpretamentum nescio cuius deprehendere mihi videbar in Eur. Alcum. frg. ap. Stob. flor. 99, 16 (N. 98) ubi libri sic

ἀλλ'· οὐ γὰρ ὀρθῶς ταῦτα, γενναίως (δ' Matth.) *ἴσως*
ἔπραξας· αἰνεῖσθαι δὲ δυστυχῶν ἐγὼ
μισῶ· λογισμὸς (vel *λογισμοὶς*) *γὰρ τοὔργον οὐ νικᾷ ποτε.*

Metro succurrit Porsonus, cum reponeret *λόγος γὰρ τοὔργον οὐ νικᾷ ποτε*. At, quaeris, quem librarium *λόγος* vocem nemini ignotam mutasse in *λογισμοὶς* vel *λογισμὸς* nobis persuadebimus? Sententia arguit, eum qui hos versus pronuntiaverit, suam sententiam alterius verbis diserte opponere; se quidem, ait, spernere infelicis gloriam, quare pronomen *ἐγὼ* cum emphasi quadam in altero extremo versu positum videmus. Hoc qui respicit forsan reponet

αἰνεῖσθαι δὲ δυστυχῶν ἐγὼ
μισῶ, λόγος μοι τοὔργον οὐ νικᾶ ποτε·

ut *ΛΟΓΟCΜΟΙ* transierit in *ΛΟΓΙCΜΟC*, *γὰρ* particula a grammatico inserta sit. Addubitavit hoc Bergkius et sane certius talis additamenti exemplum invenitur in simili sententia Eur. frg. N. 205, ubi Io. Dam. post Stob. ecl. Gaisf. p. 697, 5 vs. 4 praebet *ὃς δ' εὐγλωσσίᾳ | νικᾷ, σοφὸς μέν, ἀλλὰ γὰρ τὰ πράγματα | κρείσσω νομίζω τῶν λόγων ἀεί ποτε.*

Contra Clem. Alex. Strom. I p. 340 sq, *ἀλλά γε τὰ πράγματα | κρείσσω νομίζω κτἑ.* Pronomen *ἐγὼ* revocandum esse vidit Sylburgius: *ἀλλ' ἐγὼ τὰ πρ. κτἑ.*

Unus mihi adhuc restat de Alcumenae loco scrupulus, num iure Bothius vs. 2 pro *ἔπραξας* primam personam requisiverit. Sequitur eum Herwerdenus l. l. p. 34 proponens *ἔπραξ'· ἐπαινεῖσθαι δὲ κτἑ.* Ac fieri potest ut ita scripserit poeta. Verum enim vero cum si ullam Euripideam, imprimis Alcumenam spissa fere obscuritas teneat, malo equidem in librorum scriptura acquiescere. Verba ita comparata sunt ut alter (*ἐγώ*) alterius facta ac consilia (*ἔπραξας*) tamquam sub examen vocans suas ipsius rationes contraponat. Quod confirmat pronomen *ἐγὼ* ut dixi vi quadam elatum et alterum *μοι* forsan restituendum. — Nec non correctori nescio cui debetur eadem *γὰρ* particula Eur. Bacch. 1177, ubi libri *πρέπει γὰρ ὥστε θηρὸς ἀγραύλου φόβη.* Cum in stropha v. 1161 legas dimetrum dochmiacum, hic quoque in antistropha iure eundem requiras. Nescio igitur an grammatici falsa sedulitas dochmios olim ad senarii numeros redegerit: de hoc more cf. quae Nauckius disputavit observ. crit. p. 14 et st. Eurip. I p. 14. 21. Possis temptare *πρέπει θηρὸς ὣς ἀγραύλου φόβη.* Etiam supra in Bacch. v. 1020 recte vidit Kirchhoffius dochmios restituendos esse, ubi legimus nunc *ὦναξ Βρόμιε· θεὸς φαίνῃ μέγας.* Quae quidem sic emendaverim *ὦναξ Βρόμιε θεὸς ὡς φαίνῃ μέγας.*

Percurramus alia quae putamus interpretum glossemata vel additamenta. Eur. Antiop. frg. (N. 222) Stobaei flor. 30, 9 libri sic exhibent

> *πολλοὶ δὲ θνητῶν τοῦτο πάσχουσιν κακόν·*
> *γνώμῃ φρονοῦντες οὐ θέλουσ' ὑπηρετεῖν*
> *ψυχῇ τὰ πολλὰ πρὸς φίλων νικώμενοι.*

Improspero successu Meinekius Fleckeis. ann. a. 1863 p. 384 tertium versum tali modo conformavit *οὐ θέλουσ' ὑπηρετεῖν | τύχῃ τὰ πολλὰ πρὸς κακῶν νικώμενοι.* Quod quam parum conveniret ipse sensit Stob. flor. vol. IV

p. LXIV. Nulla omnino causa erit, cur verba *ψυχῇ — νικώμενοι* immutes, si modo antecedentia probe intellexeris vel emendaveris. *Γνώμῃ φρονοῦντες* si legimus, hoc per se nihil nisi: „intellectu superbientes“ significare potest; atque hoc respiciens pergebat Meinekius: „Qui prudentia sua superbiunt, nolunt fortunae audientes esse plerumque a malis victi.“ Quid autem? poeta nonne hoc potius in animo habuit: „multi mortalium ita aegrotant ut quamvis ipsi sapiant, nolint animae audire plerumque ab amicis inducti?“ Hoc autem est

αὐτοὶ φρονοῦντες οὐ θέλουσ' ὑπηρετεῖν
ψυχῇ, τὰ πολλὰ πρὸς φίλων νικώμενοι.

Sic demum verba *πρὸς φίλων* logice intelliguntur. Contraponitur iis apte *αὐτοὶ φρονοῦντες*. Mendi origo neminem fugit: scholiasta nescio quis voci *ψυχῇ* suprascripsit *γνώμῃ* interpretamentum per se haud insulsum, quo genuinum vocabulum *αὐτοὶ* in capite antecedentis versus facile expelli poterat. —

Interpretatione obscuratum puto locum in Eur. Phoen. v. 1598, quem libri sic tradunt

ὦ μοῖρ' ἀπ' ἀρχῆς ὥς μ' ἔφυσας ἄθλιον
καὶ τλήμον', εἴ τις ἄλλος ἀνθρώπων ἔφυ.

Recte Geelius: verba vulgata significant „si quis alius hominum natus est.“ Quod cum iam antea perspexisset Apitzius postque eum Hermannus alii (nec tamen Valckenarius ut Nauckius stud. Eurip. I p. 98 et in ed. alt. contendit) totum versum spurium judicarunt. Magis tamen convenit Oedipum longiorem suam orationem rotundiore quadam periodo incipere quam uno abruptoque versiculo. Videamus igitur, num versus emendandi potius ansa se praebeat. Heimsoethii ille quidem conatus, qui stud. cr. p. 310 *ἄλλος* vocem ab aliena manu profectam esse suspicans proposuit *οἷος οὔτις ἀνθρώπων ἔφυ*, reiicienda est. *Ἄλλος* enim in iunctura *εἴ τις ἄλλος* plane recte se habere nec ab usu abhorrere duo exempla alia docent: Eur. Andr. 6 et Ar. Plut. 655. Iam hac de causa quode nuper cogitavi *εἴ τις ἄθλιος βροτῶν ἔφυ* dubitationi obnoxium est, ut de languida vocabuli

ἄθλιος iteratione taceam. Restat tamen gravissima causa. In formulis enim εἴ τις vel εἴ τις ἄλλος hanc legem constanter valere observavimus, ut verbum finitum subaudiatur. De hac ellipsi perlustres exempla, quae collegit Valck. Phoen. v. 1589. Contra interpretes, ut solent, in eiusmodi omissionibus explicandi gratia de suis verbum adscribebant. Velut recte expunxerunt critici Eur. Andr. v. 7 ἐμοῦ πέφυκεν ἢ γενήσεταί ποτε utpote a grammatico ad verba εἴ τις ἄλλη quondam adiectum: cf. Nauckius st. Eurip. II p. 86. Consimiliter hoc loco interpretem coniicio adscripsisse εἴ τις ἄλλος ἔφυ, ut explicaret id quod a poeta forsan profectum est

καὶ τλήμον' εἴ τιν' ἄλλον ἀνθρώπων ποτέ.

Conferas Arist. Plut. v. 655 ἄνδρα τότε μὲν ἀθλιώτατον, νῦν δ' εἴ τιν' ἄλλον μακάριον κεὐδαίμονα. —

Magistelli additamentum eiiciendum est ex Iph. T. v. 250, ubi libri:

χρόνιοι γὰρ ἦκουσ' οὐδέ πω βωμὸς θεᾶς
ἑλληνικαῖσιν ἐξεφοινίχθη ῥοαῖς.

Sententia, cui alii huius fabulae loci adversantur, nondum sanata est. Ut de Marklandi opinionibus, quas Seidlerus refutavit, taceam, Heathii propositum ἐξ ὅτου βωμὸς θεᾶς κτἑ. nimis a librorum auctoritate recedit. Reliquum est quod ipsi Seidlero et Erfurdtio simul in mentem venit: χρόνιοι γὰρ ἦκουσ' οἵδ', ἐπεὶ βωμὸς θεᾶς. Concedo, sententiae haec haud male succurrunt, structura tamen χρόνιοι ἥκουσιν — ἐπεὶ analogia plane caret. Neque enim exempla quae Seidlerus attulit, convenientia sunt: et Soph. Antig. v. 15 ἐπεὶ δὲ φροῦδός ἐστιν Ἀργείων στρατὸς | ἐν νυκτὶ τῇ νῦν, οὐδὲν οἶδ' ὑπέρτερον κτἑ. et Aesch. Ag. v. 40 δέκατον μὲν ἔτος τόδ' ἐπεὶ — στόλον ἦραν κτἑ. cum hoc loco valde discrepant. Vide iam Koechlyum mecum facientem in app. crit. ed. Weidm. qui ne locum quidem in Eur. Med. 26 cum nostro versu componi posse recte iudicavit. Desideratur exemplum, quo χρόνιος adiectivum cum particula ἐπεὶ strui posse comprobemus. Quare ad aliam medelam confugiendum est. Nisi errore trahor vox θεᾶς emblema est, quod

ab interprete quondam voci *βωμὸς* adscriptum est. In proclivi est coniicere

χρόνιοι γὰρ ἦκουσ', οὐδέ πω βωμὸς Θαμὰ
ἑλληνικαῖσιν ἐξεφοινίχθη ῥοαῖς.

Apparet verbum *βωμός*, quoniam sacerdos saepissime de ara deae locuta erat, facile carere addidamento *Θεᾶς* cf. v. 693 *ἀμφὶ βωμὸν ἁγνισθεὶς* alia. Idem mendum detexit Bergkius in vs. 66, ubi egregie emendavit *τῶνδ' ἀνακτόρων πέλας*. Idem denique interpretamentum reperias in Eur. inc. frg. N. 848 ap. Orion. flor. Eur. 7 p. 56, 2 ubi libri *ὅστις δὲ τοὺς φύσαντας μὴ τιμᾶν θέλῃ | μή μοι γένοιτο μήτε συνθύτης τοῖς θεοῖς | μήτ' ἐν θαλάσσῃ κοινόπλοιν στέλλοι σκάφος*. In vs. 2 iam articulus comprobare videtur, verba *τοῖς θεοῖς* interpreti deberi. Imprimis autem dativum *θεοῖς* antecedente *μοὶ* aegre ferimus, quo interpolationis suspicio confirmatur. Has nimirum rationes respexit Meinekius cum locum sic scribi iuberet (cf. Nauck. Addend. p. XVI) *μή μοι γένοιτο μήτε συνθύτης ποτὲ κτἑ.* —

Interpretamentum redolet Eur. Archel. frg. (264 N.). quod sic legitur in Stob. flor. 105, 31

πάλαι σκοποῦμαι τὰς τύχας τῶν βροτῶν
ὡς εὖ μεταλλάσσουσιν· κτἑ.

Quam prioris versiculi lacunam Stobaei codex B male explet articulo inserto *τὰς τῶν βροτῶν*. Nec multo probabilius Nauckius *ἐγὼ βροτῶν*: pronominis emphasis huic loco alienior videtur; neque enim talibus exemplis hic uti licet velut Eur. frg. N. 1014, ubi pronomen aliis personis vel plerisque hominibus oppositum esse apparet. In mentem mihi venit *πάλαι σκοποῦμαι τὰς ἐφημέρων τύχας κτἑ.* Recte tamen me admonuit Bergkius verbum *μεταλλάσσειν* intransitive vix alibi inveniri et similiter iam Meinekius iudicavit in Add. ad Stob. flor. vol. IV p. LXXXI. Malim igitur

πάλαι σκοποῦμαι τὰς ἐφημέρων τύχας
ὡς θεοὶ μεταλλάσσουσιν.

Adverbium *εἶτα* sententia abhorrere vidit iam Herwerdenus l. l. p. 40. — Profecto ubi poeta de rerum humanarum vicissitudinibus loquitur, homunciones ipsos vix aptius signi-

ficare potuit quam voce *ἐφήμεροι* i. e. ut Suidae interpretatione utar s. v. *ἐφημέριοι*: *βροτοὶ καθημερινὰ εἰδότες, οὐ προορώμενοι τὸ μέλλον* cf. Valck. Phoen. 1515. Verba *ἐφήμεροι* vel *ἐφημέριοι* pro notione sua ibi praecipue locum habent, ubi significatur quod aiunt *δάκτυλος ἀὼς* ac sententiae irrisio quaedam mortalium inest vel ironia cf. Aesch. Prom. v. 83, ib. v. 945 *τὸν ἐξαμαρτόντ' ἐς θεοὺς ἐφημέροις πορόντα τιμάς*, ubi in cod. Med. *τὸν ἀνθρώποις* suprascriptum videmus. Quoties autem grammatici vel librarii voces *ἐφήμεροι, βροτοί, θνητοί, ἄνθρωποι* variandi pruritu capti commutaverint, docet Heimsoethius et alibi et stud. crit. p. 176. Duabus formis utuntur tragici *ἐφήμερος* et *ἐφημέριος* ut fluctuant scriptores inter *ἕσπερος* et *ἑσπέριος*, *ἐκτόπιος* et *ἔκτοπος* alia permulta cf. Herm. adnot. ad Prom. 949, Seidl. Iph. T. 405.

Interpretamentis sine dubio maculatum est Eur. Antig. frg. (N. 174), quod ap. Stob. flor. 108, 3 corrupte sic legitur

μὴ οὖν θέλε λυπεῖν σαυτὸν εἰδὼς ὅτι
πολλάκις τὸ λυποῦν ὕστερον χαρὰν ἄγει
καὶ τὸ κακὸν ἀγαθοῦ γίγνεται παραίτιον.

In vs. 2 propter antecedens *ὅτι* Heimsoethii propositum (prooem. aest. B. 1867 p. VIII) *ἔσθ' ὅτε τὸ λυποῦν κτἑ.* minus arridet. Viam tamen monstravit locum sanandi vir doctus, cum nemo facile in Hermanni coniectura *πολλοῖς* acquiescat. Vox *πολλάκις* glossam redolet. Genuinum forsan erat *εἰδὼς ὅτι | φιλεῖ τὸ λυποῦν ὕστερον χαρὰν ἄγειν κτἑ.* Haud raro poeta verbum *φιλεῖν* dirigit ad verba, quae articulo apposito substantivorum vice funguntur, velut Aug. frg. N. 279 *καὶ τοὐπιχειρεῖν γ' ἐξαμαρτάνειν φιλεῖ*, Soph. Thyest. frg. N. 240 *ἀλλὰ τῷ γήρᾳ φιλεῖ χὠ νοῦς ὁμαρτεῖν καὶ τὸ βουλεύειν ἃ δεῖ* alia id genus. Et forsan, nisi nimium comprobare videor, in ipsis disiectis fragmenti membris ipsius *φιλεῖ* vestigia paullo obscurata deprehendimus. Vox *φιλεῖ* fieri potest ut olim a librario falso in priorem versum retracta sit ubi legimus *μὴ οὖν θέλε*, quod ibi ineptum esse dudum critici senserunt. Saepius autem *φιλεῖν* et *θέλειν*

inter se commutata esse iam supra attigimus. Totum igitur locum partim aliorum coniecturis adjuti (cf. Herwerdenus l. c. p. 36) sic fere reponamus

μή νύν γε λύπει σαυτὸν ἐξειδὼς ὅτι
φιλεῖ τὸ λυποῦν ὕστερον χαρὰν ἄγειν,
καὶ τὸ κακὸν ἀγαθοῦ γίγνεται παραίτιον. —

Nonnunquam observare possis interpretes non solum in eo acquievisse, ut verbis poeticis minusve tritis notiora substituerent, sed etiam inverso ordine vocabulum paullo exquisitius intulisse pro notissimis iisque genuinis. Sic in trag. adesp. frg. N. 414 ap. Stob. ecl. 1, 3, 41 p. 128 codex A recte ille quidem *ἀνθρώποις* exhibet, alii e glossa *θνητοῖς*. Sic Eur. Phoen. v. 22 unus cod. F ex interpretis industria *τέκνον*, ceteri omnes *παῖδα* praebent. Huc spectans etiam in Eur. Andr. v. 231, quem codices metro repugnante sic exhibent:

τῶν κακῶν γὰρ μητέρων
φεύγειν τρόπους χρὴ τέκνα οἷς ἔνεστι νοῦς

simpliciter reponere malim:

φεύγειν τρόπους χρὴ παῖδας οἷς ἔνεστι νοῦς,

nisi praestat, ut de Kirchhoffii machinis taceam, id quod Bergkius suasit *τέκνα, τοῖς ἔνεστι νοῦς*. Quod Nauckius proposuit stud. Eurip. II p. 96 *φεύγειν τρόπους χρὴ τέκν', ὅτοις ἔνεστι νοῦς* numerorum elegantia caret. – Similiter ludibunda forsan manu interpres nescio quis *τέκνον* adscripsit ubi *παῖδα* legerat Iph. A. 1339, quod, cum textum irrepsisset

τόν τε τῆς Θεᾶς παῖδα, τέκνον, ᾧ . . δεῦρ' ἐλήλυθας

codicis *C* librarius de metro non sollicitus mutavit in *τόν τε τῆς Θεᾶς παῖδ' ὦ τέκνον γ' ᾧ . . δεῦρ' ἐλήλυθας.* Nec peritius alterius codicis *B* librarius mendo succurrit, cum *παῖδα* eiiceret nomen *Ἀχιλλέα* reponens sic

τόν τε τῆς Θεᾶς Ἀχιλλέα, τέκνον ᾧ . . δεῦρ' ἐλήλυθας.

Genuina ni fallor scriptura haec est:

τόν τε τῆς Θεᾶς παῖδα — ⏑ *ᾧ* ⏑ *δεῦρ' ἐλήλυθας*

ac scribendum forsan

τόν γε τῆς Θεᾶς παῖδα ποτνίας, ᾧ σὺ δεῦρ' ἐλήλυθας,

in quo *γε* et *σὺ* Hermanno debetur. — Nec difficilius agnoscitur interpretis manus, si additamento iniecto etiam structura verborum fit soloeca. Tale exemplum invenitur Iph. T. 1267 ubi legimus

ὁρᾶτ' ἄπιστον ὡς γυναικεῖον γένος·
μέτεστί θ' ὑμῖν τῶν πεπραγμένων μέρος.

Alterum mendum correxit Marklandus reponens *μέτεστι χὑμῖν*, alterum relictum est. Soloeca structura, in qua offenderunt critici *μέτεστι μέρος τινός*, ab interprete opinor profecta est. Dixerunt *μέτεστί μοί τι* vel *τινός*, nec tamen *μέρος τινὸς* cf. Koechlyus adnot. v. 1298. Nisi vis *τῶνδε τῶν πεπραγμένων*, possis etiam temptare *μέτεστι χὑμῖν, οἶδα, τῶν πεπραγμένων*, ubi *οἶδα* in parenthesi immissum est, sicut etiam *γιγνώσκω καλῶς, ἔγνωκα, ἄρτι μανθάνω, θάρσει* alia id genus. — Simile ineptum interpretis additamentum exturbandum erat ex trag. inc. fragm. (N. 396) ap. Stob. ecl. 1, 2, 13 p. 34

Θεοῦ θέλοντος μέτα πάντα γίγνεται.

Putarunt critici calami lapsu scripturam *μέτα* ortam esse, quare *ἄντα* proposuit Nauckius, quod in dubitationem vocavit Herwerdenus l. l. p. 90. Quod ibi coniecit *δύνατα πάντα γίγνεται* dudum occupatum erat a Nauckio Philol. 4 p. 567. Si quid video *μέτα* praepositionem interpres nescio quis addidit, ut scribamus

Θεοῦ θέλοντος πάντα γίγνεται καλῶς.

Simile mendum aperuit Herwerdenus l. l. p. 102 in Aesch. Choeph. v. 782 *γένοιτο δ' ὡς ἄριστα σὺν θεῶν δόσει*, ubi additam praepositionem vix enodes. Conjecit ille *γένοιτο δ' ὡς ἄριστα σὺν θεῷ δόμοις.* — Adiungamus locos nonnullos, ubi sententia verborum interpolationem arguit. Non adducor ut Eur. Antiop. frg. N. 198 ab Euripide profectum esse credam, sicut servavit Stob. flor. 16, 4.

εἰ δ' εὐτυχῶν τις καὶ βίον κεκτημένος
μηδὲν δόμοισι τῶν καλῶν πειράσεται,
ἐγὼ μὲν οὔποτ' αὐτὸν ὄλβιον καλῶ,
φύλακα δὲ μᾶλλον χρημάτων εὐδαίμονα.

Apparet eum, quem modo fortunatum esse (*ὄλβιον*) diserte neget poeta, non *φύλακα χρ. εὐδαίμονα* appellari

posse, praesertim cum *εὐδαίμονα* locum in versu tam gravem teneat. Vox *εὐδαίμων* notione sua multo praegnantior est quam *ὄλβιος*. Hoc est fortunatus, illud ab omni parte beatus, ut recte ea dignovit Wagnerus ad Ant. frg. 1. Ad hanc definitionem imprimis conferas Medeae locum v. 1217 *θνητῶν γὰρ οὐδείς ἐστιν εὐδαίμων ἀνήρ· ὄλβου δ' ἀπορρυέντος εὐτυχέστερος ἄλλου γένοιτ' ἂν ἄλλος, εὐδαίμων δ' ἂν οὔ*, ubi scholiastes haud inepte explicat *εὐδαίμονα δὲ καλεῖ τὸν ἄχρι τέλους ἀπείρατον κακόν* (sic falso Wagn., immo *κακῶν*). Docet hic locus *εὐτυχὴς* in universum notionem „felix" aequare, *εὐδαίμων* idem quod latine „beatus"; contra *ὄλβιος* utuntur de fortunato vel divite, ut a voce *πλούσιος* haud multum distet. In eandem sententiam iudicavit iam Nauckius stud. Eurip. II p. 142, ubi vix praeterire debuit, locum Antiopae quem tractamus iam a Duentzero Philol. 5 p. 186 in dubitationem vocatum esse. Parum tamen probabiles mihi coniecturae velut *φύλακα δ. μ. χρ. δυσδαίμονα* vel Duentzeri *χρημάτων εὐδαιμόνων*. Debile hoc nimirum appendiculum foret, quod acumine plane destitutum esset. Nisi fallor verbum *εὐδαίμονα* ab interpolatore adiectum est, ut versum plenum redderet. Nihil desideramus si legimus

ἐγὼ μὲν οὔποτ' αὐτὸν ὄλβιον καλῶ,
φύλακα δὲ μᾶλλον χρημάτων. —

Cum divitiis haud exiguam beatitudinis partem contineri putent mortales, haud raro apud graecos scriptores *πλούσιοι* non solum *ὄλβιοι* sed etiam *εὐδαίμονες* vocantur similiter ac „divites" a latinis scriptoribus „beati." Hanc synonymorum permutationem in pedestri oratione sat frequentem a tragicorum usu abhorrere contendit Nauckius. Antiopae fragmentum huc referre, nunc nemini in mentem veniet, qui sententiam pensitaverit. Alia res est in Eur. Thy. fragmento (N. 399), quod ap. Stob. flor. 92, 3 sic legimus:

πλούτου δ' ἀπορρυέντος ἀσθενεῖς γάμοι·
τὴν μὲν γὰρ εὐγένειαν αἰνοῦσιν βροτοί,
μᾶλλον δὲ κηδεύουσι τοῖς εὐδαίμοσιν.

Hoc loco si recte scriptura se habet, *εὐδαίμοσιν* significat idem ac *πλουσίοις* contra Nauckii observationem. Ut

autem lectionem *εὐδαίμοσιν* in suspicionem vocemus, haud mediocriter nos confirmat, quod vs. 2 et 3 Aristoteles *περὶ εὐγενείας* in Stob. flor. 86, 25 sic exhibet: *τὴν μὲν γὰρ εὐγ. αἰν. βρ., μᾶλλον δὲ κηδ. τοῖσι πλουσίοις.* Aut igitur hoc scribendum erit aut statuendum, utramque scripturam ex interpretandi more fluxisse. Si quaeris, quam vocem interpretes et per *πλούσιος* et per *εὐδαίμων* explicare consueverint, nulla est quam *ὄλβιος*. Cf. Hesych. *ὄλβιος· πλούσιος, εὐδαίμων.* Forsan igitur recte scripseris

μᾶλλον δὲ κηδεύουσι τοῖσιν ὀλβίοις. —

Nec non suspicor similem sententiam Eur. Dan. frg. (N. 328) ap. Stob. flor. 91, 23 et 92, 6 iam in vetusto aliquo libro interpolationem contraxisse:

ἆρ' οἶσθ' ὁθούνεχ' οἱ μὲν εὐγενεῖς βροτῶν
πένητες ὄντες οὐδὲν ἀλφάνουσ' ἔτι,
οἳ δ' οὐδὲν ἦσαν πρόσθεν, ὄλβιοι δὲ νῦν,
δόξαν φέρονται τοῦ νομίσματος χάριν
καὶ συμπλέκοντες σπέρμα καὶ γάμους τέκνων;
δοῦναι δὲ πᾶς τις μᾶλλον ὀλβίῳ κακῷ
πρόθυμός ἐστιν ἢ πένητι κἀγαθῷ·
κακὸς δ' ὁ μὴ ἔχων, οἱ δ' ἔχοντες ὄλβιοι.

Sententia, quae est ex tritissimis poetae, in universum haec est: homines nobili loco natos (*εὐγενεῖς*) si pauperes sint, nihil iam praestare; contra opibus florentes ac fortunatos (*ὄλβιοι*) etsi genere ignobiles maxime valere. Ac recte profluit sententia usque ad versum 7: contra extremum versiculum item recte se habere, persuadere mihi non possum. Liquet poetam quae in antecedentibus uberius pronuntiasset, una nunc brevique sententia comprehendisse. Neque aliter Nauckius nunc versum intellexit, qui post *κἀγαθῷ* plenius interpungeret ipseque abiiceret quod olim Philol. 4 p. 545 falso suspicatus erat. Sed ad singula nos vertamus: *ὄλβιοι* hoc loco nihil aliud significare quam *οἱ ἔχοντες* vel *πλούσιοι* docent versus 3 et 6, ubi eandem vocem verbis *πένης* et *οἳ δ' οὐδὲν ἦσαν* oppositam videmus. Dixisset igitur poeta: malus autem est vel putatur qui nihil habet, possidentes autem sunt fortunati i. e. divites sunt

divites. Ac si posset etiam vox ὄλβιοι hoc loco in universum felicitatis notionem aequare, sententia sic quoque probo nexu vel opposito careret. Flagitat autem instituta sententia imperiose hoc: „ignobilis autem est (vel vulgo putatur) qui nihil habet, contra possidentes nobiles.“ Id est interpolatione remota

κακὸς δ' ὁ μὴ ἔχων, οἱ δ' ἔχοντες εὐγενεῖς.

Sic demum verba recte inter se opponuntur, sic commode poeta ad initium sententiae respicit. Ut κακῷ in vs. 6 contraponitur ἀγαθὸς in vs. 7 i. e. tenuioribus optimates, aeque vs. 8 contraponuntur κακὸς et εὐγενής. cf. Herc. fur. 207 τῶν ἀρίστων τἄκγον' αὐτὸς ὢν κακὸς δέδοικας, Heraclid. 297 sq. πατρὸς ἐσθλοῦ κἀγαθοῦ πεφυκέναι γαμεῖν τ' ἀπ' ἐσθλῶν· ὃς δὲ νικηθεὶς πόθῳ κακοῖς ἐκοινώνησεν κτέ., Eur. Alcum. frg. 96 N., Protesil. frg. 638 N., Soph. Antig. 38, Tyr. frg. N. 601. Quotiens apud Theognidem ἡ εὐγένεια et κακοὶ sibi opposita sint, post Welckerum proleg. Theogn. p. XXX nemo nescit. Ceterum ne verbum δοῦναι quidem perspexit Vratislaviensis editor, cum verteret versum 6: „Unus quisque malo diviti donare mavult quam egeno atque bono.“ Immo transferenda verba erant ut supra dixi: „Unus quisque magis inclinat diviti quamvis ignobili filiam elocare quam pauperi nobili.“ Eodem sensu intelligimus Peliad. frg. ap. Stob. flor. 92, 4 N. 610 ὁρῶσι δ' οἱ διδόντες εἰς τὰ χρήματα, quod ineptissime sic interpretabatur idem Wagnerus „qui dono aliquid dant ad divitias spectant.“ cf. Herwerdenus l. l. p. 57. Simplex δοῦναι poetico more Euripides his locis composito ἐκδιδόναι ut saepius praeposuit. — Item perversa sententia comprobat interpolatione vel interpretamento quondam maculatum esse locum Euripidis ap. Jo. Dam. post Stob. ecl. p. 717, 28

οὐκ εὖ λέγειν χρὴ μὴ 'πὶ τοῖς ἔργοις καλοῖς·
οὐ γὰρ καλὸν τόδ', ἀλλὰ τῇ δίκῃ βαρύ,

quem per errorem olim adespotis inseruit (224) Nauckius dein exturbandum esse recte vidit Philol. 12 p. 195. Etenim idem ad verbum fere legimus Eur. Phoen. v. 527—28, ubi πικρὸν pro βαρύ. Ex his πικρὸν genuinum esse, docent

scholiastae verba qui interpretatur *πικρὸν* per *ἀλγεινόν, βαρύ*. In priore versiculo, qui dudum scrupulum movit, vix fallimur, cum interpretis nescio cuius additamenta irrepsisse suspicemur. Dubitabilis tamen sanatio erit et forsan alii mea leniorem invenient. In mentem mihi venit

οὐκ εὖ λέγειν χρὴ πλὴν καλοῖς ἔργοις ἔπι·

ut statuamus verba quondam a grammatico explicata fuisse per *εἰ μὴ ἐπὶ τοῖς ἔργοις καλοῖς*. — Haec quoniam scripsi video Herwerdenum l. l. p. 86 buccas tamquam inflantem Nauckio propter erratum illud, quod ipse dudum correxerat. Quod ibi coniecit ille *μὴ καλοῖς ἔργοις ἔπι* ferri nequit, si grammaticam spectas. Possis dicere grammatice *οὐκ εὖ λέγειν χρὴ ἔργοις μὴ καλοῖς ἔπι* sine articulo, si adiectivum cum negatione postponas (cf. Soph. frg. N. 755 *οὐκ ἔστ' ἀπ' ἔργων μὴ καλῶν ἔπη καλά*). Nec tamen eodem iure *μὴ καλοῖς ἔργοις ἔπι*. Eadem de causa iam Hermanni vulgatae explicatio repellenda fuit cf. Nauckius st. Eurip. I p. 77. Lenius est quod Meinekio videbatur ad Stob. flor. vol. IV p. XXXII *οὐκ εὖ λέγειν χρὴ εἰ μὴ ἐπὶ τοῖς ἔργοις καλοῖς*: vereor tamen ne tali crasi particula *εἰ* per se sat exigua plane evanescat. — In fragmento trag. inc. (N. 451) ap. Stob. flor. 51, 13

κρεῖττόν τ' ἀμύνειν· κατθανεῖν γὰρ εὐκλεῶς
ἢ ζῆν θέλοιμ' ἂν δυσκλεῶς γε κατθανών

extrema verba aperte corrupta sunt. Participii aoristi formam librarius nescio quis invexisse videtur, ut antecedenti *κατθανεῖν* tempus adaptaret. De his similibusve erratis cf. Heimsoethius prooem. aest. B. 1867 p. VI. Vix erit qui probet Nauckii propositum *μὴ κατθανών*, quod quidem mirifice languet. Apparet, si ulla omnino verbi *καταθνήσκειν* vel *θνήσκειν* forma in vs. 2 locum habebat, nullum aliud tempus admitti potuisse quam futurum. Ut sit sententia: „malim gloriose mori quam vivere postea abiecte moriturus." i. e. *δυσκλεῶς θανούμενος*. Omnino alienius huic loco verbum *θνήσκειν* putavit Bergkius noster coniiciens *ἢ ζῆν θέλοιμ' ἂν δυσκλεῶς καὶ λανθάνειν*. Ceterum nimis festi-

nanter 'opinor expunxit versus clausulam Herwerdenus ut scioli additamentum l. l. p. 91. —

Paullo propius ad genuinam poetae formam accessurum me spero in Critiae Sisyphi frg. N. p. 598, quod servavit nobis Sextus Empiricus p. 403, 1. Partim melius fuit huc qui irrepserunt errores in antecedenti capite nostro attingere; cum tamen maxime de interpretamentis ageretur, malui totum fragmentum uno loco complecti. In his versibus enim, quamvis fere humi serpat oratio et a cothurni dignitate remotior (cf. Philostr. vit. Soph. 1, 16, 3, Welckerus trag. graec. 3 p. 1010) ad didacticam poesin magis accedat, tamen cavendum est, ne poetae vitio 'vertamus, quod ab interprete nescio quo profectum esse in proclivi est comprobare. — Pristino tempore mortales, ait poeta, ferarum ritu aetatem degisse; nec probis praemium propositum fuisse, nec improbis poenam; dein legibus latis iustitiam regnasse. Cum vero id quod palam vetitum esset, pergerent mortales clam patrare, tum extitisse virum quendam callida mente, qui diis homines terruisset. — Usque ad vs. 11 poetae verba sat emendate decurrunt, nisi quod lacunae sanatio vs. 7 incerta erit. Haud insulse tamen suppleas *ἵνα δίκῃ τύραννος ἦ Ϝρόνους ἔχουσα τὴν Ϝ' ἴβριν δούλην ἔχῃ* cf. Moschion frg. 7 p. 633 N., Iul. Aeg. 39, 6 (Iacobs. Anth. 3 p. 203), Orph. hymn.' 62, 1, Soph. Antig. 854.' — Vs. 11 sq. apud Nauckium sic legimus

τηνικαῦτά μοι δοκεῖ
. . πυκνός τις καὶ σοφὸς γνώμην ἀνὴρ
γνῶναι δέος Ϝνητοῖσιν ἐξευρεῖν ὅπως
εἴη τι δεῖμα κτέ.

vs. 12 nunc ut videtur *ἀκέφαλος* cum Meinekio *φρένας πυκνός τις κτέ.* supplendus erit. Sequenti versui frustra adhuc viri docti operam navarunt. *γνῶναι δὲ ὃς* exhibent codices C G R, *γνῶναι δεόσι* Laurentianus. *γνῶναι δέος* quod coniecit Petitus vel quod Norrmannus proposuit *γνῶναι δέον* vix erit qui scripsisse Critiam credat, quod statim subsequuntur verba *ὅπως εἴη τι δεῖμα*, nec structura membri intelligitur. Deorum nominis commemoratio, quos esse vir

ille primus pronuntiavit, hic plane necessaria fuit, ut comprobant etiam verba vs. 16 *ἐντεῦθεν οὖν τὸ θεῖον εἰσηγήσατο.* Reposuerim igitur, quod sententia flagitat

εἶναι θεοὺς θνητοῖσιν ἐξειπεῖν, ὅπως κτἑ.

in quo *θεοὺς* dedi ex probabili Herwerdeni coniectura l. l. p. 74. Nisi egregie fallor vocis *εἶναι* corruptela ex *γνώμην* antecedentis vicinitate orta est: de quo vitiorum genere cf. Nauckius st. Eurip. II p. 152 sq. Vs. 24

ἐὰν δὲ κἂν (sic Nauck.) *σιγῇ τι βουλεύῃς κακόν,*
ταῦτ' οὐχὶ λήσει τοὺς θεούς· τὸ γὰρ φρονοῦν
.. ἔνεστι. τούσδε τοὺς λόγους λέγων κτἑ.

iterum primo quidem adspectu uno pede detruncatus videtur, quem nemo adhuc probabiliter supplevit. Alius aliud coniecerunt: *θεοῖς ἔνεστι· τούσδε τοὺς λ. λ.* Norrmannus, *αὐτοῖς ἔνεστι* Heathius, Meinekius denique *ἔνεστι· τούσδε τοὺς λόγους ἀεὶ λέγων*, e quibus optio perdifficilis erit. Vide autem, an interpretis potius additamentum certatim viri docti in versum redigere studuerint. Etenim post versus 17 sq. *νόῳ τ' ἀκούων καὶ βλέπων φρονῶν κτἑ.* quivis facile caret molesto interpretamento *τὸ γὰρ φρονοῦν ἔνεστι.* Immo multo fortius decurrit oratio, si mecum reposueris

ἐὰν δὲ κἂν σιγῇ τι βουλεύῃς κακόν,
ταῦτ' οὐχὶ λήσει· τούσδε τοὺς λόγους λέγων κτἑ. —

Supra imprimis vs. 19 *προσέχων τε ταῦτα καὶ φύσιν θείαν φορῶν* fere conclamatus est, nec iuvat varia variorum improbabilia conamina iterum recensere. Ut dicam quod sentio, mihi hic quoque versus Graeculo dignior quam poeta videtur. Quam supervacanea sint verba *θείαν φύσιν φορῶν* post vs. 17, ubi idem multo elegantius legitur *δαίμων ἀφθίτῳ θάλλων βίῳ*, pauci non sentient. Confirmat quodammodo hanc suspicionem Plutarchus qui Mor. p. 880 E in fine versus 18 pro particulis *τε καὶ* exhibet *ἄγαν*, quod recipere non dubitaverim. Praeivisse mihi video in hoc iudicio Herwerdenum l. l. p. 77; nec tamen fecerim cum eodem cum etiam sequentes duos versus 20 et 21 sine iusta causa expungere properaret. In hac oratione, quae, si recedis a

vs. 34 sq., vix fere ultra cotidianum sermonem assurgit, non est cur explodamus versus sat commode decurrentes

ὅς πᾶν τὸ λεχθὲν ἐν βροτοῖς ἀκούσεται,
τὸ δρώμενον δὲ πᾶν ἰδεῖν δυνήσεται.

Sic enim ex Heathii et Norrmanni coniecturis haud spernendis scribendi sunt. — In fine harum exercitationum addam tragici incerti frgm. ap. Stob. flor. 105, 51, quod in Nauckii editione sic legitur p. 724

τὰ μεγάλα δῶρα τῆς τύχης ἔχει φόβον
καὶ τὸ πάνυ λαμπρὸν οὐκ ἀκίνδυνον κυρεῖ,
οὐδ' ἀσφαλὲς πᾶν ὕψος ἐν θνητῷ γένει,
ὅπερ διέστρεψ' ἢ χρόνος τις ἢ φθόνος,
ἐπὰν ἐπ' ἄκρον τις τοῦ καλῶς πράσσειν δράμῃ.

Sat miror hoc loco viros doctos in emendando Graeculi nescio cuius additamento frustra vires exercuisse. In quarto enim versu quot verba legis tot ineptias. Ut a levioribus gradatim ad majora pergamus: primum iam verba *χρόνος τις* nostro sensu vix ferenda sunt ut parum definita, deinde disiunctio *ἢ χρόνος ἢ φθόνος* (aut tempus aut invidia) nemini qui quidem simplici iudicio utitur, probabilis erit. Omnino autem in hoc versu languide praeripitur ea sententia quam poeta ipse elegantissime paullo post vs. 11 sic expressit

πρὸς γὰρ τὸ λαμπρὸν ὁ φθόνος βιβάζεται (sic. Nauck.),
σφάλλει δ' ἐκείνους οὓς ἂν ὑψώσῃ τύχη.

Quod quidem sensit iam Meinekius, cum ad hos versus Stob. flor. vol. IV p. VIII adnotaret: „Nisi molestae loquacitatis poetam reum facere velis, hi versus a reliquis separandi sunt.“ Quamquam haec verba vix separanda esse mox videbimus. Accedit autem id quod maximum est versum in codicibus sic legi contra metrum

ὃ περιέστρεψεν ἢ χρόνος τις ἢ φθόνος

in quo *περιέστρεψεν* et notione ineptum esse et metro facile apparet. Cf. Porsonus Med. 284: „tragici numquam in senarios, trochaicos, aut, puto, anapaestos legitimos *περὶ* admittunt ante vocalem, sive in eadem, sive in diversis vocibus.“ Tot suspiciones cum ultro in unum istum versiculum con-

currant, nullo modo dubito, quin interpolator nescio quis fraudem fecerit Meinekio Com. 4 praeff. p. XII sq. vel Nauckio cuius coniecturam supra scripsimus. Deleto igitur emblemate partim e Nauckii coniectura repono:

τὰ μεγάλα δῶρα τῆς τύχης ἔχει φόβον
καὶ τὸ πάνυ λαμπρὸν οὐκ ἀκίνδυνον κυρεῖ,
οὐδ' ἀσφαλὲς πᾶν ὕψος ἐν θνητῷ γένει,
ὅταν ἐπ' ἄκρον τις τοῦ καλῶς πράσσειν δράμῃ.

Sed etiam alio novoque argumento haec nostra coniectura inde stabiliri potest, quod etiam ordo versuum ut nunc legitur turbatus videtur. Audias velim paullo attentius vs. 9 sq.

κἂν γὰρ πέσῃ τις ἐξ ἐλάσσονος μέτρου,
εὐπερικάλυπτον ἔσχε τὴν δυσπραξίαν·
ὄγκου δὲ μεγάλου πτῶμα γίγνεται μέγα.
πρὸς γὰρ τὸ λαμπρὸν ὁ φθόνος βιβάζεται,
σφάλλει δ' ἐκείνους οὓς ἂν ὑψώσῃ τύχη.

In his quid particula *γὰρ* sibi velit vs. 12 expediri nequit. Neque enim ratio redditur verbis *πρὸς γὰρ-τύχη* sententiae antecedenti. An magnas res magno casu rui, quod invidiam conflare soleant, quisquam sibi persuadebit? Hoc vereor ne logicae adversetur. Immo sola haec sententia recte se habebit: res excelsae periculo obnoxiae sunt vel facile ruuntur: nam invidia eas adire solet. Quam rationem si probabis, iam suboleat tibi necesse est, versus suo loco sic reponendos esse:

τὰ μεγάλα δῶρα τῆς τύχης ἔχει φόβον,
καὶ τὸ πάνυ λαμπρὸν οὐκ ἀκίνδυνον κυρεῖ,
οὐδ' ἀσφαλὲς πᾶν ὕψος ἐν θνητῷ γένει,
ὅταν ἐπ' ἄκρον τις τοῦ καλῶς πράσσειν δράμῃ.
πρὸς γὰρ τὸ λαμπρὸν ὁ φθόνος βιβάζεται,
σφάλλει δ' ἐκείνους οὓς ἂν ὑψώσῃ τύχη.
ἡ δὲ μεσότης ἐν πᾶσιν ἀσφαλεστέρα,
[τὸ μήτε λίαν ἐν ταπεινῷ τῷ τύχης
μέρει φέρεσθαι μήτ' ἐν ὑψηλῷ πάλιν.]
κἂν γὰρ πέσῃ τις ἐξ ἐλάσσονος μέτρου,
εὐπερικάλυπτον ἔσχε τὴν δυσπραξίαν·
ὄγκου δὲ μεγάλου πτῶμα γίγνεται μέγα.

Sic logice, nitide, eleganter procedit oratio. En nunc apertum fraudatoris consilium: nimirum ut versus iste, quem inepte conflaverat, locum haberet, duo genuinos poetae versus segregavit et in fine totius fragmenti annexuit. Verba *τὸ μήτε λίαν ἐν ταπ.* — *πάλιν* uncis inclusi monente Meinekio Stob. flor. vol. IV p. LXXXI.

CORRIGENDA

p. 11 scribas *κλεινῷ* p. 13 Herwerdeni p. 15 profectum p. 16 *ἃ χρή*, *ἃ χρεών*, p. 23 *δυνήσεται* p. 33 *καί μοι* p. 41 instauraverit p. 44 *δεσποτῶν* p. 48 Eur. Antiop. frg. (N. 121)

Index emendationum:

Aesch. Ag. 1434 sq. Dind. p. 19
Suppl. 486 p. 17
523 p. 18
Soph. Aead. frg. 86 N. p. 7
Androm. frg. 122 p. 10
Laoc. frg. 343 p. 21
Lemn. frg. 355 p. 22
Naupl. frg. 398 p. 34
Eur. Alc. 685 Kirch. p. 30
Andr. 231 p. 53
321 p. 23
1144 sq. p. 29. p. 47
Bacch. 1020 p. 48
1177 p. 48
Hipp. 505 p. 27
Iph. A. 887 p. 9
908 p. 29
1287 p. 39
1339 p. 53
1348 p. 38
1369 p. 38
Iph. T. 250 p. 50
345 p. 39
406 p. 9
719 p. 8
980 p. 43
1267 p. 54
Suppl. 353 p. 11
574 p. 46
Eur. Phoen. 527 p. 57
1598 p. 49
Eur. Alcum. frg. 98 N. p. 47
Alex. frg. 53 p. 12
Antig. frg. 172 p. 3
174 p. 52
Antiop. frg. 193 p. 16
198 p. 54
221 p. 48
222 p. 17
Archel. frg. 264 p. 51
Aug. frg. 269 p. 16
Belleroph. frg. 301 p. 47
Chrysipp. frg. 839 p. 6
Dan. frg. 328 p. 56
Eurysth. frg. 376 p. 44
Hipp. frg. 442 p. 16
In. frg. 421 p. 34
Oedip. frg. 547 p. 31
Phrix. frg. 826 p. 42
Stheneb. frg. 664 p. 7
Tem. frg. 736 p. 43
Thyest. frg. 399 p. 55
frg. fab. inc. 1008 p. 45
1044 p. 39
1046 p. 38
Astyd. Mercur. frg. p. 604 N. p. 45
Chaer. frg. fab. inc. 37 p. 25
Crit. Sysiph. frg. p. 598 p. 59
Zopyr. frg. p. 646 p. 24
adesp. 223 N. p. 23
313 p. 43
396 p. 54
462 p. 61
Euphr. ap. Stob. flor. 28, 11 p. 29

VITA

Otto Fridericus Hense, fidei evangelicae addictus, natus sum Halberstadii anno h. s. XLV mensis Aprilis die XI patre Carolo Conrado, matre Theresia, e gente Vogel, quibus superstitibus adhuc vehementer laetor. Postquam primis literarum elementis imbutus sum anno LIV gymnasium Halberstadiense adii, quod Theodoro Schmidio directore etiam nunc floret. Dein patrem secutus qui directorii munus in se receperat, gymnasium Soltquellense per quatuor annos frequentavi. Ex praeceptoribus quibus ibi usus sum, plurimum debeo Arminio Henkelio, conrectori nunc gymnasii Seehusani. Denique in gymnasio Parchimensi cui pater meus adhuc praeest, per tria semestria versatus sum. Praeceptores mihi erant imprimis Augustus Mommsenus, vir ingenuus ac doctus, et pater meus qui maxime antiquitatis studiorum amorem in adulescentulo suscitavit. Maturitatis testimonium adeptus auctumno a. LXIV Lipsias me contuli, ubi per unum semestre Curtium et Masium audivi. Aestatem sequentem in universitate Erlangensi degi Henrici Keilii, Ivani Muelleri aliorum disciplinis operam navans. Dein Lipsias reversus per duo semestria audivi Ritschelium, Curtium, Voigtium, Roscherum, Masium. Praeterea exercitationum seminarii regii particeps fui nec non societati Ritschelianae adscriptus. Denique auctumno a. LXVI hanc nostram universitatem Halensem adii, ubi Bergkii Bernhardyi Zacheri philologorum, philosophorum Erdmanni et Schalleri scholis interfui. Item hic seminarii philologici sodalis fui benevoleque Bergkius in societatem suam me recepit. Viri quos nominavi omnes omnium laudibus florentissimi mea laude facile carebunt: semper tamen horas illas quibus imprimis Ritschelium Bergkium Bernhardyum audire licuit grata memoria servabo.

THESES

I Tac. Agr. c. 35 partim cum Beato Rhenano sic emendaverim: legiones pro vallo stetere, ingens victori decus citra Romanum sanguinem bellanti, et auxilium, si pellerentur.

II Aesch. Eum. v. 417 sq. (Dind.) sic scripserim ἔσθ' ὅπου τὸ δεινὸν εὖ | τις φρενῶν ἐπίσκοπον | ἀλδανεῖ καθήμενον κτἑ.

III Aesch. Pers. v. 815 sic forsan restituendus est τὰ δὲ μέλλοῦσι κοὐδέπω κακῶν | κρηπὶς ὕπεστιν, ἀλλ' ἔτ' ἐκπαχύνεται.

IV In Eur. Iph. T. v. 237 librorum scriptura (ἄλλος δέ τις μάταιος ἀνομίᾳ θρασὶς κτἑ.) ut sana relinquenda est.

V Ex synizesi a librariis neglecta saepissime apud tragicos corruptela originem traxit (cf. supra p. 29 p. 51).